MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

KUPFFERSCHMID, J.

G. C. 21

DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA

DE

MORBIS PRÆLIANTIUM

Quos quidem

IN VICTORIOSA

BERNATUM EXPEDITIONE BELLICA

Anno M DCC XII.

PASSIM INTER MILITES PRÆLIANTES,

NUMEROSEQUE SAUCIATOS

OBSERVARE LICUIT,

AUCTORE

JOHANNE KUPFFERSCHMID,

CASTROVILLANO-BERNENSI,

CHIR. ET MED. DOCT.

SOCIETY OF LONDON·MEDICAL



BASILEÆ.

TYPIS & IMPENSIS

E. ET J. R. THURNISIORUM, FRATRUM.

Anno M DCC XV.

V I R I S
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS & SPECTATISSIMIS,
DOMINIS,

DN. HENRICO STEIGERO,

PRÆFECTURA
COMITATUS CASTROVILLENSIS
ANTEHAC PRUDENTISSIME
MAXIMAQUE CUM LAUDE DEFUNCTO,
NUNC AUTEM
ILLUSTRISSIMÆ REIPUBLICÆ BERNENSIS
SENATORI GRAVISSIMO,
DOMINO ET MECOENATI SUO,
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU
ÆVITERNUM COLENDO:

DN. ALBERTO KNECHTIO,

INCLYTÆ REIPUBLICÆ BERNENSIS
DUCENTUMVIRO MERITISSIMO,
& p. t.
COMITATUS PRÆDICTI CASTROVILLANI
PRÆFECTO SPECTATISSIMO,
DOMINO ET PATRONO SUO
MAGNA CUM SUBMISSIONE
VENERANDO.

VIRIS

V I R I S

Dein etiam Spectatiſſimis,

SENATUS CASTROVILLANI PROCERIBUS

longè digniſſimis, prudentiſſimis, graviſſimis,

DN. JOHANNI FANCKHAUSER, Tribuno Plebis ampliſſimo, Centurioni ſtrenuiſſimo, atque in ultimo Helvetiorum Bello inteſtino Phalangis Bernatum unius Præfecturâ fortiter & maximâ cum laude defuncto: nec non Tributorum militarium Exactori, atque ſimul Intendenti Generali prudentiſſimo, fideliſſimo:

DN. ELIÆ TRÆCHSELIO, Præfecto in Graſs & Heimiswil digniſſimo;

DN. HENRICO STÆHLIN, Expræfecto in Graſs & Heimiswil prudentiſſimo:

DN. JACOBO LEONI, Proconſuli meritiſſimo, p. t. Decimarum Adminiſtratori fideliſſimo, atque in Militiâ Equitum Magiſtro perquam ſtrenuo:

DN. CHRISTIANO KUPFFERSCHMID, Operatori Chir. peritiſſimo, Præfecturâ in Graſs & Heimiswil, nec non Decimarum curatelâ magnâ cum dexteritate & fide defuncto:

DN. ABRAHAMO TRACHSELIO, Præfecturâ primùm in Lotzweil dein & Xenodochii laudatiſſimè defuncto, Suo è S. Bapt. Fonte Suſceptori honoratiſſimo:

DN.

DN. LEONHARDO BURI, Præfecturâ Xenodochii, non ſecus atque Conſulatûs dignitate optimâ cum laude functo, Parenti ſuo omni obſervantiâ colendiſſimo:

DN. JACOBO RÜTHIO, Præfecturâ in Lotzweil & Dörigen honorificè defuncto, Centurioni in Militiâ fortiſſimo, Cheiriatricæ Artis Operatori dexterrimo:

DN. JOH. GOTTFRID HÜNIGIO, p. t. Civitatis Conſuli ſpectatiſſ. Phalangis unius in nuperâ Expeditione Wilenſi atque Roſchacenſi Tribuno ſtrenuiſſimo:

DN. SAMUELI FANCKHAUSER, p. t. Præfecto in Lotzwil & Dörigen prudentiſſimo, atque Cohortis Militum, ad fines Solodurenſes caſtra in ultimo Bello metantis, Præfecto meritiſſimo:

DN. ADAMO ÆSCHLIMANNO, p. t. Xenodochii Præfecto vigilantiſſimo, Literarum Cultori & Patrono maximo:

DN. FRANCISCO DAVIDI STÆHLIN, Senatori prudentiſſimo, atque in Militiâ Locumtenenti præſtantiſſimo:

DN. SAMUELI RÜTHIO, Archigrammateo prudentiſſimo, dexterrimo, in Rebus ſcitu digniſſimis, literariis inprimis, verſatiſſimo:

Denique etiam

DN.

DN. JOHANNI MATTHYSIO, Operatori peritiſſimo, atque in ultimi Belli Helvetici expeditionibus Chirurgo Majori feliciſſimo, dexterrimo, nunc verò Scripturæ Magiſtro laudatiſſimo:

DOMINIS SUIS

MECOENATIBUS, PATRONIS, ADGNATIS,

FAUTORIBUS ET AMICIS,

OMNI HONORIS, AMORIS ET OBSERVANTIÆ

CULTU ÆTATEM PROSEQUENDIS

DISSERTATIONEM HANC

CUM

VOTO OMNIGENÆ FELICITATIS

D. D. D.

AUTHOR.

DISSER-

DISSERTATIONIS MEDICÆ
PARS PRIOR
DE
MORBIS PRÆLIANTIUM EXTERNIS.

THESIS I.

MAgnus eſt numerus Medicorum, qui tùm de univerſis, tùm de ſingulis Morborum generibus orbi Literato ſuas commentationes obtulerunt, omnes quidem eâ intentione ducti, ut accuratas affectuum hiſtorias & curationes exararent, eoque ipſo magnis meritis Rempublicam Medicam ſibi devincirent; ad quem ſcopum tamen ii præ cæteris feliciùs adſpirârunt, qui vitæ ſuæ brevitatem circa anguſtius objectum adhibentes, de aliquibus duntaxat morbis quàm ſpecialiſſimè ſcripſerunt, quemadmodùm hâc laude inclyti ſunt multi, qui de Morbis tantum Cerebri, Oculorum, Auriùm, Pectoris, Menſenterii, Uteri, Renum, Glandularum &c. item qui de Morbis Puerorum, de Febribus, Catharris, Vulneribus, Fracturis, Tumoribus &c. ſpecialiter tractârunt; vel etiam de ſolo aliquo morbo: v. gr. de Peſte, Scorbuto, Rachitide, Arthritide, Dyſenteria, Phthiſi, Hydrope, Apoplexia, Epilepſia &c. ſpecialiſſimos Tractatus exarârunt. *Præfatio.*

A Quorum

Quorum exemplo invitatus ego, dum monſtrandorum in Arte Medica & Chirurgica profectuum gratiâ ſpecimen habendum eſſet, ſpecioſum argumentum de *Morbis Prœliantium* nemini forſan adeò diſpliciturum ſelegi. Cui quidem commentationi anſam præbuit Bellum inteſtinum Helveticum Anno 1712. acriter agitatum, cui cùm & Medicinæ & Chirurgiæ ſimul exercendæ gratia intereſſem, quamplurima circa caſus caſtra ſequentium obſervare mihi datum eſt. Quocirca neminem ignorare puto, nullum eſſe vitæ & incolumitati Mortalium infenſiorem Tyrannum ipſo Marte; hic enim tantâ atrocitate, tot diverſis caſuum & morborum generibus, nunc ſubitaneis & procelloſis maximè, nunc paulatinis in vitam & valetudinem Militum ſævit, ut nec mente id complecti, nec oratione aſſequi liceat.

Diviſio morborum caſtrenſium. II. Morbos itaque Prœliantium commentatione academicâ proſequuturus, illos ſtatim diſtinguam in externos & internos; deinceps eorundem recenſioni & explicationi ordine quàm ſimpliciſſimo inſiſtam, totam cujuslibet affectûs hiſtoriam & curationem continuatô filô exaraturus. Externos autem Caſus & Morbos præſertim ſequentes deſcribam: *Numeratio Externorum.* Vulnera omnis generis, horum accidentia, Hæmorrhagias, Tumores, Inflammationes, Abſceſſus, Ulcera, Gangrænam & Sphacelum, deinde Contuſiones, Fracturas, Luxationes, & Hernias, quibus etiam accedunt membrorum Amputationes in Caſtris familiares.

Idea vulnerum generalis. III. Ut igitur ſtatim in campum deſcendamus malorum immenſum, de *Vulneribus* auſpicabimur, quæ in ſcholis Medicorum audiunt morbi ſolutæ unitatis, utpote quibus continuitas partium corporis mollium, fibrarum, membranarum, tubulorum, muſculorum, viſcerum, &c. per vim quandam externam plus minùs graviter lædi ac dividi ſolet. Cui quidem Affectûs generi non tantùm exteriores & habituales corporis partes, verùm & reconditæ qualeſcunque viſcerales ſubjectæ ſunt, ita tamen, ut niſi graviſſima ſit violentia, tum plerumque in velamentis corporis univerſalibus, aut ſaltem muſculis proximè ſubjectis effectu ſuo ſubſiſtere ſoleat.

leat. Quin etiam negandum non eſt, fluida corporis, ſive humores ſuis ubique tubulis contentos in Vulnerationibus violari, ſiquidem ex læſione fibrarum, tubulorumque ad fluidi corruptionem in temperie & motu neceſſaria eſt ſequela.

IV. Vulnerum Diverſitates propemodùm ſunt innumeræ, primò reſpectu partium læſarum, dein naturæ læſionis, tùm inſtrumentorum vulnerantium, ac poſtremò reſpectu ſymptomatum, quæ ſunt aſſociata. Itaque (*a*) nunc vulnerantur partes corporis ſimpliciſſimæ, fibræ ſcilicet minimæ ac inviſibiles, nunc faſciculi nervorùm, tendinum, ligamentorum, muſculorum, nunc membranæ qualeſcunque & ex iis conflata vaſcula, arteriæ, venæ, lymphatica, nunc tandem, ſi penetrantiores fuerint cauſæ, ipſiſſima viſcera, & horum partes in magnis corporis cavitatibns repoſitæ. Ex quo haud difficulter intelligitur illa Vulnerum diviſio, quæ ordini partium corporis eſt conformis, ut alia ſint Capitis, Faciei, Oculorum, Aurium, alia Colli, Tracheæ, Oeſophagi, alia Pectoris, Pleuræ, Pulmonum, Cordis, Diaphragmatis, alia Abdominis, Stomachi, Inteſtinorum, Hepatis, Lienis, Pancreatis, Renum, Veſicæ, Uteri &c. alia denique Artuum vel ſuperiorum, vel inferiorum, & nunc Cutis ipſius ſolùm, nunc etiam Muſculorum ſubjacentium. Si (*b*) naturam Læſionis conſideremus, tunc Vulnus aliud eſt magnum, aliud parvum, profundum vel ſuperficiale, rectum vel obliquum, circulare, tranſverſum, ſimplex, compoſitum, &c. (*c*) Ratione inſtrumentorum vulnerantium aliud infligitur cæſim, aliud punctim, ruptim, contuſim, &c. Tandem (*d*) ratione accidentium variæ ſunt vulnerum denominationes: Vulnus tumidum, cavum, dyſcraton, ὑπερσαρκοῦν, doloroſum, pruriginoſum, cruentum, ſanioſum, ſordidum, purulentum, & quæ ſunt ejuſmodi plures. Quibus omnibus accedit Vulnerum diſtinctio in recentia & inveterata, pericuſoſa & minùs periculoſa, ancipitia & abſolutè lethalia, venenata & non talia, ut alias id genus diverſitates ſilentio involvam.

Vulnerum differentiæ.

Vulnerum Cauſæ. V. Cauſæ vulnerantes ſunt omnia corpora & inſtrumenta, quæ ſuâ duritie, acumine, & motu vel impetu partes Machinæ noſtræ ſolidas violare atque dividere ſolent; & quidem nunc *pungendo*, quemadmodùm faciunt aciculæ, fragmenta vitri, piſcium ſpinæ, ſagittæ, gladius, haſta, & qualeſcunque vectes mucronati; nunc *ſecando*, ut faciunt culter, enſis, fragmenta vitrorum lata, & ejuſmodi ſimilia; nunc *perforando*, ſicut faciunt glandes vel globuli ſclopetarii, vi atque celeritate ſummâ adacti; nunc *contundendo*, quemadmodùm faciunt pugnus, baculus, lapis, & quæcunque duriora machinæ noſtræ violenter occurrentia, quò etiam pertinet reſiſtentia pavimenti terrei, lignei vel lapidei, in quod ex alto aliquis delapſus eſt; nunc *lacerando*, cum vectes multi invicem agentes, fibras vaſa atque membranas violenter tendendo ab invicem divellunt, quo præſertim ſpectat morſus animalium qualiumcunque. Quibus cauſis non immeritò addenda videntur corpora cauſtica tùm actualia, tùm potentialia, utpote quorum inviſibiles moleculæ non aliter operantur, quàm rigidiſſimi & acutiſſimi vectes, vi ætheris partium fibrillis intruſi, ut ſint totidem, vel cultelluli ſecantes, vel aciculæ pungentes aut perforantes, vel analogis inſtrumentis non abſimiles.

Vulnerum ſymptomata. VI. Exaratis cauſis vulnerum, in promptu erit, eorundem effectus vel ſymptomata ab experientiæ dictamine cognoſcere, & ex lumine rationis mechanicæ explicare. Inflicto vulnere proximè ſequitur fibrarum & vaſculorum partis læſæ retractio & criſpatura, eam ob rationem, quod extremitates in vulnere vi propriâ contractili fibrarum ad ſua principia continuè trahantur, cumque in cavo vulneris nihil ſit, quod apices earundem fibrarum retineat, vel contractionis virtuti verſùs aliam extremitâtem reſiſtat, neceſſum eſt, ut illæ corrugentur ac retrocedant; hinc labiorum vulneris dehiſcentia, aliique effectus ulteriores nunc deinceps recenſendi. *Fibrarum retractio & criſpatura.*

Dolor. VII. A Fibrarum partis violatæ retractione & criſpaturâ, quæ continuato motu ad nervos Cerebri redundat, proximè

proximè oritur moleſta animi ſenſatio, ſive dolor, ſubitaneus vulnerum atque perpetuus comes, qui cum à dilaceratione fibrillarum primam habuit cauſam, confeſtim ab acceſſu aëris externi, ſuo pondere, acrimoniâ & motu ſuperficiem vulneris internam ſubeuntis exaſperatur; idque magis magiſque ulteriùs, dum occluſis oſculis ante hac cruorem fundentibus, humores & ſucci circulantes in viciniâ ſubſiſtunt, ac continuatô ſuô impetu canaliculorum tunicas vehementer expandunt, eoque ipſo dolorem inflammatorium fomentant.

VIII. Alius Vulnerum ſubitaneus comes eſt liquidi ex violatis vaſculis eruptio, ac præſertim viſibilis Hæmorrhagia, nunc parca tantùm, ſi compages vaſculorum ſubtilior exſtiterit, nunc largior, & magis contumax, ſi Vaſa majora vulnus acceperint; interdum adeò exceſſiva ac præceps, ut ſummum vitæ diſcrimen cauſetur, quando ſc. majores Arteriæ violentiam ſuſtinuerunt. Ejuſmodi humorum effluxus tamdiu durat, donec vel â propriâ fibrarum contractione, vel grumeſcente ſanguine, vel preſſurâ aëris, vel denique præſidiis quibuſcunque Chirurgicis cohibitus fuerit. *Hæmorrhagia.*

IX. Dum ab obſtructione oſculorum in Vulnere, per cauſas in ſuperioribus ſignificatas, Sanguis reliquique humores in viçinâ Vaſorum congerie cumulantur, exitum verò vel tranſitum conſuetum non inveniunt, fit ut ilico reſtagnent, tunc mole pondere ac niſu ſuo Vaſculorum parietes maximoperè diſtendant, ita ut adaucto innumerabilium tubulorum diametro pars vulnerata in majorem molem excreſcat; jamque conſpiciatur inflammatorius Tumor, cum acuto & ardente dolore jugiter increſcens, dum ad extremum diſtenſionis gradum Vaſcula pervenerint. *Tumor circa vulnera inflammatorius.*

X. Accidit etiam intra viginti horas, ſi Vulneratio gravior extiterit, ut ex Nervulorum dilaceratione, per conſenſum tonus ac motus Cerebri exaſperetur, qui neceſſariâ ſequelâ in Nervos paris octavi, cæterorumque reflectens, illud efficit, ut Cor atque Arteriæ velociùs atque validiùs *Febris vulnera excipiens.*

 agiten-

agitentur, ideoque & ipſe motus ſanguinis, quâ inteſtinus, quâ progreſſivus invaleſcat; tantò id magis, cùm ſanguis ad vaſcula vulneris occluſa appellens, ſuo impetu in citeriores eorundem ramulos laterales, qui ſcilicet permeabiles ſunt relicti, reflectit, ac in iis primò, tum conſequenter in ulterioribus æſtum & turgeſcentiam producit. En igitur præſentem in corpore *Febrim*, plus minus acutam; en oriunda ex uno fonte plurima ſymptomata, æſtum corporis, ſitim, vigilias, jacturam virium, ſudores, cephalalgias, deliria, & plura id genus, quorum notitia ex *Pyretologia* habetur. Addi & illud poteſt, quod geneſin Febreos utplurimùm promoveat Humorum in parte vulneratâ corruptio, ſub qua inſignem acrimoniam contrahunt, eamque ſenſim Sanguini circulanti introducunt, tanquam ſeminium particularum ſylveſtrium, quæ cum cæteris ſanguinis moleculis conflictum ineundo, nexum ac ſitum earundem mutuum diſſolvunt, eoque ipſo motum inteſtinum valdè conturbant; quæ quidem omnia tunc eveniunt graviſſima, ſi cauſæ vulnerantes veneno imbutæ extiterint, tunc enim Febris maligna fieri ſolet, cùm in cæteris caſibus longè mitior occurrat.

Convulſio. XI. Deindè Vulnerum ſymptoma non infrequens eſſe ſolet *Convulſio* ſ. *Spaſmus*, in quo nunc tota machina, nunc hæc aut illa tantùm membra, involuntario motu contrahuntur, diſtorquentur, ac obrigeſcunt. Tale accidens pro cauſa ſuâ agnoſcit nunc *Hæmorrhagiam* vulneris nimiam, quâ juxta *Celeberrimi Baglivii* ſententiam ſolidi & fluidi æquilibrium turbatur, mox fibræ tunicarum, ob fluidi reſiſtentis penuriam vehementiùs contrahuntur, ut & nervi in ſpaſmodicas concuſſiones diſcedunt: nunc graviorem *Nervorum puncturam*, *dilacerationem* vel *contuſionem*, ex quibus immediatè nervus violatus convellitur, mox alii atque alii per conſenſum, donec eadem tragœdia per totum ſyſtema machinæ nervoſum ſit propagata; quocirca illud eſt prorſus mirabile, quod vel ex minimi Nervuli puncturâ tota confeſtim Machina quatiatur, ut præter *Obſervationes*

chirur-

chirurgicas, *experimenta Baglivi* copioſè demonſtrant: nunc denique *Liquidum venenatum* Vulneri immiſſum, quod ſcilicet ſuâ particularum rigiditate, acumine & motu, à vi ætheris & aëris adjuto, fibras nervoſas graviſſimè compungere, atque diſcindere valet, eoque ipſo Convulſionibus acceſſum præparare.

XII. Chirurgis etiam notiſſimum eſt, quod Vulnerati, vel per nimiam ſanguinis, tanquam naturæ theſauri, jacturam, vel terrorem panicum, vel dolores atroces, vel denique peculiare Venenum vulneri & ſanguini circulanti ingeſtum, ſæpenumerò *Lipothymiam* vel *Syncopen* incurrant; qui quidem affectus quoad naturam ſuam prorſùs coincidunt, nec niſi majoris vel minoris ratione ab invicem diſtant: in priore palleſcunt ægri, langueſcit pulſus, reſpiratio extenuatur, emergit ſudor frigidus, uſura vocis & motûs voluntarii nulla eſt, ſenſationes tamen utcunque ſuperſtites: in poſteriore vulnerati Milites inſtar morientium ocyùs corruunt, toti pallidi, frigido ſudore madentes, ſenſu motuque privati, cum pulſu & reſpiratione ferè inperceptibili; quorum accidentium nexus ex pathologia innoteſcit. Præterea illud commemorandum, quòd præ cæteris Vulnera hujus illiuſve Viſceris nobilioris animi deliquia poſt ſe trahant. *Lipothymia & Syncope.*

XIII. Si Vulnera ſint majora, haud rarò conſequitur *Paralyſis*, ſive nervorum atque muſculorum flacciditas & ad motum ineptitudo, cujus accidentis cauſæ circa majores nervorum faſciculos quærendæ videntur: ſicubi enim contingat majores Nervos diſcindi aut comprimi violenter, vel obſtrui quomodocunque, tunc omninò neceſſaria eſt atoniæ in omnibus ejuſdem nervi propaginibus ſequela, ergò deeſt inſtrumentum motûs præcipuum in iſta parte, jamque fibræ muſculorum atque vaſorum flacceſcunt, hebeſcit ſanguis reliquique humores, ſicque prorſus aptitudo ad motum deſtruitur; quo ipſo etiam non rarò ſuccedit *Atrophia*, quandoquidem inſtrumenta & cauſæ ad nutrimenti præparationem & applicationem ad interſtitia partium minima deficiunt. *Paralyſis vulnera excipiens.* *Atrophia.*

ciunt. Exemplo quàm clariſſimo res elucefcit circa vulnerationem Medullæ ſpinalis, hæc enim, ſi in qualicunque ſui parte vehementer compreſſa, diſtorta vel diſciſſa fuerit, ilicò omnium partium ſuccedit paralyſis, quæ ab inferiore ejuſdem medullæ parte ſurculos nervoſos duxerunt, infallibili argumento, ab interſciſſo Nervorum trunco, & hinc ablato cum viſcere Cerebri commercio motum prædictarum partium periiſſe.

Synovia vulnerum. XIV. Neque ſilentio prætereunda *vulnerum Synovia*, quam noſtrates Chirurgi inquilino idiomate das Glied-waſſer appellant; eſt autem effuſiò peculiaris Ichoris, nunc tenuis, & ſero lactis ſimillimi, nunc viſcidioris adinſtar albuminis ovorum; colore nunc albicante, pellucido, vitreo, nunc rubeo, nunc flaveſcente, livido, nigricante, &c. pro varia humorum ſtagnantium corruptione. Hujuſmodi accidens quantum experientia teſtatur, Articulorum vulneribus eſt familiare, haud dubie propter multitudinem vaſorum, nervorum, tendinum ac ligamentorum, circa illos occurrentem, quæ ſcil. inflicto vulnere acerrimi doloris, inflammationis, ac tandem copioſi humorum proventûs cauſa exiſtit. Verùm aſteriſco hîc notandum, in omnibus ferè Vulneribus nervoſarum partium, ab initio ſeroſum & crudum liquidum effluere, etiamſi omnia cum vulnere ad votum ſuccedant, qui proin effluxus nondum Synoviæ titulo gaudere poteſt, ſi hactenus reliqua ſigna diagnoſtica non ſimul adfuerint, quemadmodum ſunt præter ſuperiùs exarata, gravis loci inflammatio ac intumeſcentia, dolor intenſus, labiorum vulneris elevatio ac retorſio, carnis ſpongioſæ luxuries, febris acuta, cum ſiti, vigiliis, cephalalgia, deliriis, vomitu, virium jactura, ac demum proximè inſtans affectæ partis gangræna, & ſphacelus; de quibus peritè *Langius Epiſt. III. Lib. I.* Illud autem commemoratu valde dignum eſt, quod ejuſmodi *Synoviæ* apud vulneratos milites tanta interdum ſit ubertas, ut ad plures etiam libras exiguo temporis ſpatio diffundatur; quemadmodum v. gr. *Guil. Fabricius* Chirurgus Bernas feliciſſimus, ex unius digiti vul-

nere ultra menſuram 4 ℔. & ex alio vulnuſculo prope patellam dextri pedis, duas incirca libras ichoris articularis promanaſſe obſervavit.

XV. Reliqua Vulnerum ſymptomata ſunt præſertim tumori inflammatorio ſuccedentia, *Abſceſſus*, *Ulcus*, *Gangræna* & *Sphacelus*. Si incipiens ac parva ſit Inflammatio, tunc fomentationibus congruis diſcutitur; ſi verò affluxus humorum ſit copioſior, & phlegmone graviùs, tunc vel in Abſceſſum & Ulcus; vel ſi extrema corruptio fluidorum ſubſit, in Gangrænam & Sphacelum permutatur. Géneſis abſceſſûs ſupponit cauſas, quæ cruorem ſtagnantem putrefacere, & in materiam purulentam convertere poſſunt. Ulcus nihil aliud eſt, quàm ipſe abſceſſus ruptus, ac materiam putrem, ſubinde & ſaniem diverſiſſimam, benignam vel malignam, dulcem vel corroſivam, craſſam vel tenuem profundens. Gangræna oritur, ſi coacervati humores extremum ſubeant putrefactionis gradum, ut ad ulteriorem functionem prorſùs inhabiles evadant, ſimulque corroſivitate ſuâ fibras & vaſcula in totum diſſolvant, adeoque totalem νέκρωσιν vel mortificationem inducant. Si humoris nutritii, gelatinoſi & pinguis largus ſit ad Vulnera adventus, vel ſi Chirurgus ſiniſtrè illa tractet, tùm verò ſæpiùs caro laxa & ſpongioſa ſuccreſcit, magnum aliquandò obtinendæ ſanationis impedimentum.

Vulnera excipiens abſceſſus, ulcus, gangræna, ſphacelus.

Hyperſarcoſis.

XVI. Quæ hactenùs de Symptomatibus Vulnerum exarata fuerunt, utique ſpecialiori diagnoſi lucem accendunt, cui tamen ex quinque fontibus alia ſubſidia adjungimus, ad accuratiorem Vulnerum diſtinctionem neceſſaria. (1) Fons derivatur ab actionibus læſis, cùm v. gr. à ſenſatione & motu animali læſo vulnerationes Cerebri atque Nervorum, ex hæmopthyſi, dyſpnœa ac tuſſi, Pulmonum & Diaphragmatis, ex vomitu cruento Ventriculi, ex Abdominis intumeſcentia, dolore hypogaſtrii, & urinæ emanſione vulnera Veſicæ colligi poſſunt. (2) Fons diagnoſeos ab excretis ſumitur, cùm obſervationes doceant, effluxum

Fontes diagnoſeos ad vulnerum differentias pernoſcendas.

(1)

(2)

Chyli ex vulneribus abdominis, læſionem Ventriculi, vel Inteſtinorum tenuium, proventum urinæ per abdomen, vulnera Veſicæ, Ureterum vel Renum, ut & excretionem materiæ fœculentæ per vulnus abdominis, læſionem craſſi
(3) cujuſdam Inteſtini ſignificare. (3) Ex Vulneris loco conſiderato anatomica corporis notitia partem violatam nobis revelat, quemadmodùm locus hypochondrii dextri, vulnera Hepatis, ſiniſtri autem vulnera Lienis ſignificat, ut aliis
(4) exemplis ſuperſedeamus. (4) A dolore vulneris acuto valdè, ad Nervoſarum partium vulnus, ſed ab obtuſo ad Car-
(5) nium vel Muſculorum læſiones argumentamur. (5) Effluxus ſanguinis celer, impetuoſus & largus Arteriam, ſed parcus & moderatus Venam duntaxat vulneratam ſignificat, ut plurâ ſpecialia hûc pertinentia prætermittamus. Quibus quidem fontibus feliciſſimè ille utetur, qui & phyſiologicam & anatomicam corporis humani notitiam ſtudioſè proſequutus fuerit; cumque ſcrutinium illud ad Vulneris curationem adeò neceſſarium, ſine anatomica partium ſcientia & diligenti œconomiæ examine fieri nequeat, idcircò ſeveram merentur animadverſionem, & ferulâ maximè digni ſunt cenriâ, optimi illi fratres ignorantiæ Barbitonſores, artem ſcilicet, cui nunquam pro ejus dignitate ſtuduerunt, profitentes, qui cum in Phyſicis, Mechanicis & Anatomicis præſertim rudes ſint, atque fundamenta œconomiæ animalis ignorent, ſemetipſos ludibrio, & alios periculo exponunt, interea nefario auſu, igne & ferro in vitam & valetudinem generis humani graſſantes; homines cæterùm maligni, invidi, ambitioſi, avari, pari affectu omnium opes atque inopiam, velut Milites apud *Tacitum* concupiſcentes; quibus alioquin trucidandi eſt plena libertas, & rapiendi perpetua lubido. Cujuſmodi quidem Burſætonſorum non paucos, qui vel terrâ vel opinione adhuc teguntur, in apricum ducere poſſem, niſi ſuperſtes aliquis erga immerentes amor me prohiberet.

Prognoſis. XVII. Circa *Prognoſin* multa veniunt monenda, cùm plurimùm interſit noſſe, num Vulnus ſit anceps, an abſolutè lethale, aut ſaltem per accidens tale evadens? quocirca judicium

dicium ferre res eſt difficilis atque periculi plena, cùm juxta Medicorum renunciationes magiſtratus ſenſentiam determinare ſoleat. De ſanguine & corio humano hîc agitur, quamobrem abſque omni præjudicio Vulnus ipſum, & qualeſcunque circumſtantiæ perquam diligenter ſunt examinandæ, diuque deliberandum, quod ſemel ſtatuendum, ne vel in vulnerantis vel vulnerati commodum Medicus inclinâſſe videatur. Adeoque oportet in hoc caſu animum habere ab omni affectu liberum, credendo Deum καρδιογνῶστιν adeſſe, factorum noſtrorum Inſpectorem oculatiſſimum, ſiquè contra veritatis legem renunciaverimus, Vindicem fore ſeverum, ſin pro æquitate fecerimus, Remuneratorem benigniſſimum. Magnum quippe & impietatis plenum eſt crimen, eum qui à mortis pœna liberari poſſet, falſo & & iniquo teſtimonio reum facere, vel contra atteſtato illum defendere, quem ob vulnus illatum lethale leges homicidarum pœnâ damnârunt. Quo itaque in præſagiis vulnerum feliciorem eſſe liceat, ſequentia Capita fundamentalia diligenter æſtimanda cenſemus: (*a*) *Subjectum patiens.* (*b*) *Ejus fontes præcipui.* *Partem affectam.* (*c*) *Vulneris indolem ac naturam.* (*d*) *Cauſas & modum Vulnerationis.* (*e*) *Symptomata vel accidentia*, quæ vulneribus preſſo pede ſuccedunt. (*f*) Tandem *Circumſtantias* nonnullas *externas*, quæ circa regionis & aëris conſtitutionem, ut & reliquarum rerum non naturalium conditionem verſantur.

XVIII. Circa Subjectum patiens conſideranda *Fons (a) prognoſcos à ſubjecto patiente derivatus.* veniunt tria potiſſimùm, ejus temperamentum vel conſtitutio, ætas, & vitæ genus. Itaque primò cognoſcendum, an Miles ſauciatus ante vulnus acceptum ſanus, an verò cacochymicus & valetudinarius fuerit? etenim qui antehàc ſanus in manus Chirurgorum incidit, faciliùs atque citiùs curatur, quàm qui alioqui valetudinarius erat: ille ſiquidem laudabiles, hic autem ineptos ad ſanationem humores producit. Præſertim verò, qui Sanguinis diatheſi ſcorbuticâ pollent, difficulter ac tardè ſanabiles exiſtunt. Deinde ratione temperamenti ſanabiliores ſunt ſanguinei,

minùs autem cholerici, vel pituitoſi. Quod ætatem Sauciati attinet, experientia commonſtrat, adoleſcentiam atque juventutem ſanationi favere, cùm contra ſenectus eandem retardare ſoleat. Denique ruſpamur vitæ genus & conditionem, ut obſervationes jam factas præſenti ſauciato Militi applicemus. Segnities & otium juxta *Hippocr. l. 2. de diæta*, corpus humectat atque debilitat, labor autem ſiccat ac robuſtum facit, velut etiam *Celſus l. 1. c. 1.* adſtipulatur, dum inquit: Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam reddit adoleſcentiam. Vires autem validas in magnis Vulneribus maximum habere momentum ad recuperandam ſanitatem, jampridem extra dubitationis aleam eſt poſitum. Præterea qui moderatè in victu, cæteriſque rebus non naturalibus ſe geſſerunt, illi etiam feliciùs vulnerum pericula effugiunt; qui autem intemperantia, atque libidine corpus ſuum enervarunt, hi certè peſſimum apparatum adferunt, atque impetrato vulnere graviore frequentiùs decumbunt. Quibus addimus ſtatum animi, qui ſi fuerit tranquillus & æquabilis, non parùm utique curationi prodeſt, cum ex adverſo perturbatus, iracundus, triſtis &c. magno impedimento eſſe conſueverit.

Fons (b) prognoſeos ex conditione partis affectæ.

XIX. Quoad (*b*) fontem prognoſeos ex *conditione Partis affectæ*, ille omninò videri poteſt ampliſſimus, cum experientia doceat, vulneris gravitatem partis læſæ dignitati utplurimùm reſpondere. Primò exigui ſunt momenti Vulnera ſuperficialia, cutim ſcilicet, membranas atque muſculos tantùm dividentes, ac proin facillimè ſanantur, niſi veneno cavum vulneris ſit imbutum. Deinde etiam parùm diſcriminis habent phlebotraumata, niſi vel maximi fuerint trunci, vel negligantur, vel ſitûs ratione poſthaberi debeant. At læſiones Arteriarum plus alunt periculi, tùm propter majorem ſenſibilitatem ac motum, tùm propter inſignem contenti ſanguinis vim atque impetum, vix aliquando coërcendum; quamobrem non rarò minorum etiam arteriarum vulnera mortem inducunt, quod alioqui certiùs faciunt læſiones aortæ, carotidum, axillarium, inquinalium, crura-

cruralium &c. Maximi etiam diſcriminis ſunt vulnera Nervorum atque Tendinum præſertim majorum, quæ ſc. frequentius acutiſſimos dolores, inflammationem, febrim intenſam, nec rarò convulſiones & mortem cauſantur. Poſtremò experientiâ multiplici confirmatum eſt, vulnera Cerebelli, Cerebri Cordis, Pulmonum, Diaphragmatis, Ventriculi, Inteſtinorum, Hepatis, Veſiculæ fellis, Ductûs cholidochi, chyliferi, Renum, Veſicæ &c. vel abſolutè lethalia, vel ancipitia exiſtere, ob eam haud dubiè rationem, quod horum Viſcerum neceſſariæ ſint functiones ad vitæ conſervationem. Ubi tamen illud eſt animadvertendum, quod ſi hujus illiuſve viſceris vulnus non adeò fuerit profundum, nec fortè majores vaſorum ramos tetigerit, interdum felicem ſanationis eventum admittat. Quin imò nil obſtat, quò minùs natura in vulneribus ſanandis aliquandò miracula edat, ut vel grandiora etiam Cerebri, Pulmonum, Hepatis, Ventriculi ac Inteſtinorum vulnera feliciter ad cicatricem perducta legantur, cujuſmodi exempla ex Obſervationibus *Hildani, Foreſti, Valleriolæ, Benivenii, Paræi, Schenkii & aliorum* innoteſcunt. In conſiderationem quoque venit Partium ſenſus atque motus, qui cum fuerit exquiſitus & validus, quemadmodùm in nervis, tendinibus, arteriis, membranis nervoſis, Cerebro, Corde, Pulmonibus, Diaphragmate, Ventriculo &c. eſſe ſolet, certè in cauſa eſt, ut pars ſauciata vehementer doleat, affluant humores, inflammatio ſuccedat, cum febri, inquietudine, vigiliis &c. cujuſmodi proin Vulnera, in univerſum δυσίατα, ſubinde lethalia exiſtunt; cùm ex adverſo ſe habeant læſiones earum partium, quæ ſenſu motuque obtuſo gaudent. Quandoque cauſa lethalitatis vulnerum exiſtit, ejuſmodi partium ſitus, qui acceſſum manûs Chirurgi & medicamentorum prohibere poteſt, quemadmodùm ſe habent pleraque vulnera in cavitates profundiùs adacta.

Fons (c) prognoſeos ex Vulneris indole ſumptus.

XX. Circa Vulneris indolem, præſertim conſiderandum eſt, num illud ſit recens, an inveteratum, ſuperficiale an profundum, ſimplex an compoſitum, rectum an obliquum, vel tranſverſum, benignum an venenatum? de qui-

 bus.

bus ſi innotuerit, non erit difficile ab experientia progno-ſticon mutuari. Vulnus recens, ob ſanguinem adhuc purum inhærentem, & labia ejuſdem mollia, facilè coaleſcit, ſecùs autem inveteratum, quod ab aëre corruptionem accepit, ac jam ſanie vel pure ſordibuſque inquinatum eſt. Deinde vulnus ſuperficiale magnam difficultatem non habet, cùm profundiora eâdem non careant. Poſtremò Vulnera ſimplicia faciliùs curantur compoſitis, recta obliquis vel tranſverſis, benigna venenatis. Tranſverſa autem vel ideò ægrè conſolidantur, quoniam labra eorum magis ab invicem recedunt atque retorquentur, uti peritè *Galenus de Meth. med.* annotavit.

Fons (d) prognoſeos à cauſis vulnerantibus.

XXI. Circa Cauſas vulnerantes non minimi momenti conſideratio eſt, cujus figuræ inſtrumenta fuerint, & quo modo corpori adacta. Quæ autem Vulnera punctim ſunt inflicta, imprimis ſi Nervos tetigerunt, periculoſiora ſunt cæſim factis, primò quia inæqualem & graviſſimam fibrarum dilâcerationem inducunt, deinde quia medicamenta difficulter ad vulneris profunditatem perveniunt, ac poſtremò quia pus & ſanies perdifficilem exitum ſortiuntur; quibus de cauſis, ſi Nervus vel Tendo major, vel Dura meninx compuncta fuerit, plerumque ſymptomata graviſſima, febris acuta, convulſiones, ipſaque interdum mors ſuccedit. Ut nihil obſtet, quò minùs aſſeramus, non tantum ſubeſſe difficultatis, cùm Nervus, Tendo, Arteria, Vena plane diſciſſa ſunt, quàm ſi puncta vel ſolùm lancinata fuerint. Vulnera à glandibus ſclopetorum producta, non tam ob aduſtionem imaginariam, quàm propter fibrarum ac tubulorum vehementem dilacerationem, concuſſionem, partiſque ſubſtantialis ablationem ſunt peſſima, eorumque labia ceu longiùs ab invicem diſtantia non niſi difficillimè uniri atque ſanari poſſunt; unde etiam patet, quare ſclopeto Vulnerati gangrænæ, putredini & nec non febribus graviſſimis, atque convulſionibus præ cæteris ſint obnoxii. Proinde ſi caſtrenſes Chirurgi, & garruli quidam eorum Vulnerum naturam, nec non indolem pulveris pyrii accuratiùs cogno-

ſcerent,

ſcerent, profectò non de iiſdem judicarent, ut cæci de coloribus, pro venenatis illa venditando, atque partes globo trajectas empyreumate corruptas aſſerendo. Vulnera per contuſionem illata admodùm quoque gravia exiſtunt, tantò magis, quò pars affecta nobilior extiterit. Tandem ex omnibus difficillima & periculoſiſſima ſunt, quæ per arma venenata infliguntur; nam uti priſcis ſeculis ſagittæ, ſic etiamnum noſtro tempore glandes à barbaris Gentibus, interdùm & Chriſtianis venenô imbuuntur, à quibus non poſſunt non graviſſima accidentia, febres malignæ, deliria, lipothymiæ, convulſiones, ipſaque tandem mors accelerari. Licuit nobis hoc obſervare in ultimo Bello helvetico, cùm numeroſos à ſclopetariis globulis ſauciatos tractaremus, ubi ſc. apud quàmplurimos glandes albicantes, probabiliter venenatos deprehendimus, qui omnes acerba ſymptomata paſſi, tandem ad unum ferè omnes obiverunt.

XXII. Multùm intereſt etiam ad Symptomata vulneri cuidam ſuccedentia animum reflectere, utpote ex qua conſideratione magnum prognoſeos lumen ſperari poteſt. Si Hæmorrhagia ſit præceps, largaque, Lipothymia, Syncope & Mors ipſa eſt metuenda, niſi artificio opportunè cohiberi poſſit. Febris vulneri ſuccedens, ſi mitis fuerit, benignitatem læſionis ſignificat; aſt ſi gravior occurrat, cum delirio, vomitu, magna virium jactura, ſimilibuſque accidentibus, tunc certè non vacat diſcrimine. Membrorum tremores atque convulſiones ſauciatis militibus contingentes plerumque inſtantis mortis prodromi exiſtunt, quod inter copias ex Ditione Bernatum gallicâ, cum ex præliis id genus accidentium reportârent, copioſè obſervavimus; quocirca illud eſt notabile, non rarò à feſtucis fractorum oſſium nervos, arterias, perioſtia aut ejuſmodi maximè ſenſibiles partes violenter lancinari, eoque ipſo Convulſiones & mortem accelerari, tametſi de cætero Vulnus haud adeò grave extiterit.

Fons (e) prognoſeos, à ſymptomatibus.

XXIII. Denique me recipio ad Circumſtantias quaſdam externas, quantum ad prognoſin facere poſſunt, recenſendas,

Fons (f) prognoſeos à circumſtantiis externis derivatus.

ſendas, in quarum numero principem fere locum obtinet Aëris conſtitutio; quo etiam Regionis ſtatus, anni tempus, victus, cæteræque res non naturales pertinent. Quod Aërem concernit, eum quàm potentiſſimè in corpora noſtra operari, hiſce diſpoſitionem modò ſalubrem, nunc morboſam imprimendo, apud omnes in confeſſo eſt.

Prognoſtica vulnerum ex Aëre.

Auram tenuem, ſinceram & temperatam, quemadmodum valetudini omnium, ſic præſertim ſauciatorum curationibus favere experientia teſtatur, quem verò Aërem contingit nimis tenuem vel craſſum, nimis humidum vel ſiccum, nimis calidum vel frigidum, ac forte heterogeneis halitibus, aut malignis ſeu venenatis ſeminibus inquinatum eſſe, hujuſmodi, inquam, Aërem non minimam eſſe cauſam, cur Vulnera ſæpiùs contumacia & rebellia exiſtant, omnes ad unum inſigniores Chirurgi teſtantur, inter quos haud poſtremus eſt *Paræus Lib. X. de Vuln. ſclop. apol. 2. c.* 13.

Vulneribus nocet aër impurus, ac intemperatus.

Aëris quidem conſtitutio frigida mordax eſt, cutim adſtringit, atque dolorem ἀνεκπύητον, ſive inſuppurabilem creat, ut habet *Peritiſſ. Henric. Nicolai in ſuo Specimine de Vuln. Sclop.* ex *Hippocratis aphoriſmo 20. Sect. 5.* cui ſymbolum ſuum pereleganter confert honoratiſſimus Hoſpes meus *in Theatr. Prax.* dum inquit, Vulnera ſub gelido æthere inflicta, ſæpiùs evadere periculoſa; præterea communis eſt obſervatio, auræ frigidæ acceſſum, ſuccos in & circa vulnus coagulando & corrumpendo, Inflammationem Gangrænam & Sphacelum frequenter accelerare, præſertim ſi Vulnera diutiùs eidem expoſita fuerint.

Frigidus.

Sed etiam, quæ Aëre exiſtente fervido & æſtivo accipiuntur Vulnera, utut videantur exigui momenti, minimè tamen ſunt contemnenda, neque obiter tractanda, præſertim ſi Vulneratus cacochymiâ laboraverit, quia tunc ad Gangrænam & Sphacelum proclivis eſt via. Cum proin utraque Aëris intemperies tàm calida, quàm frigida Vulneribus ſit inimica, cum *Celſo* opportuniſſimum curationi Sauciatorum tempus eſſe vernum, aut certè medium inter frigidum & fervens exiſtimamus.

Fervidus.

Ubi aura valdè eſt ſubtilis, ſicut *Florentiæ* in Italia, pauci à Capitis vulneribus ſalvantur,

Subtilis.

tur, cum contrà ex iis haud multi intereant, ubi Aër nonnihil craſſior ac temperatior occurrit, quemadmodum *Piſis* & *Lugduni*, teſte *Vid. Vidio Lib. I. cap. 2.* Qui Aer humidus & ſubfrigidus eſt, Capiti & Cerebro adverſatur, quamobrem Vulnera harum partium Lutetiæ Pariſiorum rebellia ſunt, non item Fibiarum; qui verò ſiccior eſt, ac nonnihil craſſior, ut Avenione, contrarium facit, quemadmodùm *Paræus Lib. X. de Vulnerib. Sclop. cap.* 8. teſtatur. Apud calidarum regionum incolas, velut Italos & Hiſpanos, vulnera capitis difficiliora ſunt, quàm apud Gentes noricas, cùm illi propter ſanguinem magis fervidum & bilioſum, inflammationes, febres, deliria atque convulſiones facilè acquirant, hi verò ob denſiorem corporis texturam, & humorum craſſitiem, ab acutis ejuſmodi accidentibus ſecuri eſſe ſoleant. Quod jam attinet reliquas Res non naturales, certum eſt, intemperantiam in victu, venere, motuque, ut & animi pathematibus, magnum curationibus Vulnerum cauſari impedimentum. Interdum enim guloſos & libidinoſos, cùm vulnerati fuerint, diem ſuum inſperatò obire *Hildanus Obſerv. Chirurg.* 5. *Cent. I.* author eſt; cui *Celſus* adſtipulatur, *Lib. V. cap.* 26. ajens, ſobrios & temperantes faciliùs unionem Vulnerum concipere, quàm Vino Venerique deditos. Plura ſpecialiora circa prognoſin Vulnerum legantur in *Sebizio de Vulnerum lethalitate*, *Welſchio de rationali Vulnerum judicio & medicina*, *Ammanni Critica*, & *Sennerti Inſtit. de Chirurg.*

Intemperantia in victu, venere pathematibus animi, &c.

XXIV. Præmiſſâ *Vulnerum generali hiſtoriâ* ordo nos jubet, ad eorundem curationem accedere, quocirca ne velis & ventis deſtituti periculoſam ſubeamus aleam, ſolida ſtatim conſtituemus fundamenta, quibus medendi methodus ſecurè inniti poſſit, rationem mechanicam, & experientiam pro ducibus habituri. Itaque *Requiſita* ad *Traumatojatrejam* omnia ad ſequentes indicationes reducenda mihi videntur:

Suſcipitur curatio vulnerum.

Requiſita ad taumatojatrejam ſeu Indicationes.

1. Si Hæmorrhagia vulnus comitetur, ei tempeſtivè & convenienter occurrendum. 1.

2. 2. Si aliquid extraneum in Vulnere ſit relictum, illud quoad licet eximendum.

3. 3. Si Vulnus anguſtum ſit, ac fortè rotundum, illud ſtatim ab initio per inciſionem eſt amplificandum.

4. 4. Si labia Vulneris recentis multùm diſtent, tunc artificioſè adducenda veniunt.

5. 5. Cavum Vulneris convenienter eſt mundificandum.

6. 6. Si omnia peregrina Vulnere ſint exempta, illudque ſufficienter mundificatum, tunc conſolidantibus ad cicatricem promovendum.

7. 7. Vulneris accidentibus externis, inflammationi, tumori, gangrænæ & ejuſmodi obviam eundum.

8. 8. Medicamentis internis ſanatio vulneris promovenda, ſymptomata jam præſentia mitiganda, & quæ ulteriùs accidere poſſent præcavenda.

9. 9. Tandem Diæta tenuis, ſelecta, & quæ patientis ſtatui ſit conformis, præſcribenda venit.

Quibus indicationibus quemadmodùm ex arte ſatisfieri debeat, nunc deinceps ordine pro ingenii & doctrinæ modulo exponam.

Quomodo & quibus auxiliis hæmorrhagiæ occurrendum.

XXV. Accerſitus itaque Chirurgus ad Vulneratum confeſtim *Hæmorrhagiæ*, ſi quæ adfuerit, curam inibit, cum ſanguis vitæ balſamus ſit, ad ejus continuationem abſolutè neceſſarius. Quod ſi itaque ejus profluvium ſit modicum, & ex minoribus tantùm vaſculis apertis procedens, tunc vel ſibi relinqui poteſt, donec ſpontè finiat, vel convenienti ſaltem deligatione aut compreſſione coërceri; ſin autem ex Vulnere majore & majoribus tubis larga & præceps Hæmorrhagia contingat, tunc ea in tempore ſiſtenda venit, ne ex Vulnere curabili fiat lethiferum, ceu toto die id accidere obſervamus. Sed jactet hic aliquis Barbitonſor vel Carnifex pro conſuetâ ſuâ magniloquentiâ peculiare quoddam arcanum, per me quidem licebit, ego vulgaria tantùm, at uſu & experientiâ comprobatiſſima præſidia in medium adducam. Hanc in rem vulgò utiliſſimus eſt *Crepitus*

Conducit crepitus lupi.

lupi,

lupi, probè exſiccatus & compreſſus, Vulneri, vel ſi commodè fieri poſſit, Vaſi læſo arctè applicatus, ita ut ex cruore primò turgeſcens, poſtmodùm orificia Vaſorum aperta obturet. Si iſte ſolus non ſuffecerit, immergatur *Solutioni Vitrioli* non adeò forti, quam ritè factam, nonnulli ex Viris Celeberrimis pro liquore illo ſtyptico habent, quem Gallus quidam pro arcano Regi Daniæ vendidit, nunc autem publici juris factus eſt à *Clar. Webero Archiatro Cæſareo* hunc in modum:

℞. *Vitriol. Hungar.* *Liquor ſtypticus.*
Aluminis ana ℔ß.
Phlegmat. Vitriol. ℔iiij.

Coque tamdiu, donec omnia fuerint diſſoluta, liquorem frigefactum filtra, & à cryſtallis ſubinde natis ſepara, adde ſingulis libris liquoris Olei Vitrioli ℥j. *ſervetur pro uſu.*

Ad Hæmorrhagiam ſiſtendam porrò conducunt: *Lapis hæmatites, Bolus armenus, Terra ſigillata, Aloë ſuccotrina, Vitriolum & Alumen crudum, Sanguis draconis verus, Hirci præparatus, Pili Leporini, Farina volatilis, Creta rubra, Os ſepiæ Corall. rubr. Tela aranear. Colophonium, Thus, Maſtiche, Succinum, Sarcocolla, Ichtyocolla, Gallæ, Mumia, Myrrha, Colcothar vitrioli, Muſci varii, Terra Catechu, ſ. Japonica,* &c. quæ ſub formâ pulveris, cum *Spiritu Vini, Lardo, Albumineq́ ovorum* permixta, & ſtupâ, plumaceolis, vel fruſtro *Crepitûs lupi* excepta, vulneri vel orificio arteriæ venæve majoris impoſita, arcteque intruſa, cum adæquata ligatura, ſanguinis profluvium ſæpiùs feliciter ſiſtunt. Sed deligatio ita facta, per aliquot dies relinqui debet, ne Cruſta ſanguinis ſimul detrahatur, & cruori feneſtra iterùm proſiliendi aperiatur; ſic ſæpe Vulnus nullo alio adhibito remedio ſanatum vidimus. *Stercus ſuillum* cataplaſmatis inſtar applicatum mira quandoque præſtat. *Liquor magneticus Waldſchmidii celebris eſt.* Sic ad mentem *Clar. Bohnii, Spiritus Vini*, cum plumaceolis ſub moderata vulneris aut vaſis compreſſione applicatus, Vulnerum hæmorrhagiam non rarò ad ſtuporem cohibet, quod *Stercus ſuillum.* *Liquor magneticus Waldſchmidii.* *Spiritus Vini.*

tamen paradoxum eſt. Eundem *Vini Spiritum* plumaceolis exceptum Vulneribus adhuc cruentis calidè applicare conſuevit, non ſine optimo cum ſucceſſu, famoſus & peritiſſimus Chirurgus noſtrâs *Matthyſius*, qui incomparabili ſuâ dexteritate in Bello ſuperiori helvetico, in Noſodochio, quod erat Lentzburgi, apud ſauciatos milites, interdum & deploratos mira præſtitit, ut magnam abs omnibus applauſum & laudem promeruerit. Sunt qui *Cauteria* admovent *actualia*, quæ tamen admodùm ſuſpecta videntur, cum facilè inſignior quidam Nervus vel Tendo lædi, & periculoſa exinde ſymptomata inferri poſſint, & cùm decidente cruſtâ ſeu eſcharâ, nihilominùs ſæpè nova eveniat hæmorrhagia. Tandem ut, quæ noſtra ſit ſententia, candidè aperiamus, dicam, per qualemcunque experientiam nos eam methodum præſtantiſſimam deprehendiſſe, ſi ſitus Vaſis ſanguinem fundentis accuratè exploretur, hocque poſtmodùm digitis ſtudioſè comprimatur tamdiu, quouſque ſanguinis effluxus ceſſâverit; quod quidem remedii genus in *Principe quodam Auſtriaco* optimè ceſſiſſe Practicorum monumenta teſtantur. Sic etiam *Cl. Ronhuyſen* de Adultero quodam perhibet, eum, dum Lue Venerea laboraret, in graviſſimam Hæmorrhagiam incidiſſe, quæ cum nullis *ſtypticis* coërceri potuiſſet, tandem adhibita ſatis diu compreſſione, à ſartoribus hunc in finem ſtadio conductis, ceſſaverit. Aliquando per ligaturam convenientem, primò fortiorem, dein paulatim relaxandam cruentatio Vulneris optimè coërceri poteſt.

Methodus optima vulnerum hæmorrhagiam ſiſtendi.

Impedimentorum è vulneribus extractio.

XXVI. *Secunda Indicatio* poſtulat rerum extranearum Vulneri inhærentium, ut ſunt *Glandes*, *Tela*, *Cuſpis gladii* vel *haſtæ*, *fruſta Vitrorum*, *Veſtium*, *Oſſium fragmenta* ſeu *feſtucæ*, *Pili*, & id genus, extractionem, quod verò, ſicut fieri debeat, faciliùs ipſâ encheireſi oſtendi, quàm deſcribi poteſt. Adhibentur eum in finem Inſtrumenta varia, *Roſtrum corvinum*, *gruinum*, *ciconiæ*, & ejuſmodi plura, qui à *Sennerto Prax. Lib.* 5. *p.* 4. *cap.* 20. *Paræo Lib.* 10. *cap.* 14. *Andrea à Cruce*, *Fabritio*, *Sculteto*, aliiſque deſcribuntur. Utut autem à *Fabritio* Inſtrumentum terebræ formâ novæ inventionis

ventionis cum elogio producatur, ingenuum tamen videtur illorum judicium, qui dicunt, multa quidem dari ad impedimentorum è Vulnere remotionem curioſa inventa, aptius tamen forcipe inſtrumentum ſe nondum vidiſſe, viſuroſque deſperare. Hujuſmodi autem inſtrumentis extranea facilè arripiuntur, cum vulnus eſt latum, nec adeò profundum; ubi verò acceſſus ad fundum non datur, ampliatione vulneris cùm vel ſine ſectione peragendâ opus eſt; quocirca illud præcipuè cavendum, ne fiat magna fibrarum in vulnere irritatio, vel nova dilaceratio, aut ne hæmorrhagia periculoſa provocetur, quæ quidem accidentia ſi immineant, præſtat impedimentum in Vulnere reliquiſſe, & ſuppurationi negotium commendaſſe; præſertim, ſi globuli tantùm plumbei inexſtiterint, qui non adeò naturæ moleſti ſunt, quin aliquando ad plures annos ſine ulteriori noxa inhæreſcere poſſint, donec tandem duritie atque pondere ſuo ad prominentiora loca accedendo, vel ſponte ſua per genitum abſceſſum, vel artis ope excutiantur. Si Vulnus ita ſe habeat, ut poſt qualemcunque ſpinæ extractionem, nulla tamen ſalutis ſpes ſupèrſit, tùm conſultiùs eſt, encheireſin totam omittere, ne Chirurgus ægro mortem acceleràſſe videatur.

XXVII. Si Vulnus anguſtum fuerit, tunc ſine mora per inciſionem, vel cruciatam, vel in longum factam, eſt amplificandum, quod profectò magnum ad ſanationem adferre poteſt incrementum, cùm ita materiæ purulentæ effluxus, & medicamentis introitus facilis concilietur. Hujuſmodi inciſio præſertim eſt neceſſaria circa Vulnera & anguſta & rotunda ſimul, quæ ſcilicet à globulis ſclopetariis infliguntur, eo quidem ſcopo ſuſcipienda, ut mutatâ traumatos figurâ, hujus labia poſtmodùm faciliùs conjungi poſſint. Neque timendum ejuſmodi Inciſionem, circa vulnus recens ilicò ſuſceptam, nimis eſſe crudelem, aut periculoſam, eò quod vulnus vulneri, dolor dolori ſuperaddatur; quo certè metu fœminis aut pueris digniori nos planè vacamus, animo reputantes, Vulnerum ictu percitos levi- *Vulneris amplificatio per inciſionem.*

culum ejuſmodi doloris corollarium vix ſaltem percipere, deinde ad citiorem ac faciliorem ſanationem ejuſmodi encheireſin prorſus neceſſariam eſſe. Addimus quod eandem in expeditione Bernatum ultima inter ſauciatos Heroës feliciter exercuerimus, illud cavendo tantùm, ne incidendo vulneris labia ulteriùs, gravem hæmorrhagiam, vel qualecunque aliud ſymptoma acerbum produceremus.

Poſt vulneris amplificationem ad labiorum conjunctionem encheireſis convertenda.

XXVIII. Quod ſi autem Vulnus ita tractatum fuerit, tum præmiſſa inſperſione *Liquoris mundificantis*, ex. gr. *Eſſ. Myrrh. Aloës* &c. eò eſt adnitendum, ut labia vulneris ad ſe invicem propiùs adducantur, ſub eâ figurâ, quam poſtliminiò conſervare animus eſt; ad quam encheireſin nunc ſufficit Ligatura cum pulvillis aut compreſſis artificioſè inſtituta, ſi nempe Vulnus parvum & longitudinale fuerit, nunc inſuper *Emplaſtro glutinante*, vel *Suturâ* certè opus eſt, cùm ſcilicet vulnerum labia procul diſtantia, & multùm retorrida extiterint. Pro *Emplaſtro glutinante* conducit *ſtypticum Crollii*, vel *Paracelſi*, ſatis tenax redditum, vel ſequens adhuc præſtantius:

Hæc præſtatur ligaturâ,

Emplaſtro glutinante.

℞. *Gummi Tragac.*
Arab. ana ℥ß.
Maſtich.
Thuris.
Sarcocoll.
Reſin. Pini ana ℥j.
Picis navalis &
Terebinth. ana q. ſ.

Comminuta ſubigantur cum Albumine ovorum, & agitetur Mixtura tamdiu, donec in ſpumam & liquorem reſoluta fuerit, F. l. a. Emplaſtrum, linteo fortiori inducendum, ac convenienter labiis τȣ̃ τραύματος *agglutinandum.*

Sin autem ligatura & conglütinatio ſufficere nequeat, tum verò ad *Suturam* eſt accedendum, hoc modo, ut Acus lanceolæ formis optima filo ſericeo cerato inſtructa, per cutim, nunc etiam aliquantum carnis ſubjacentis adigatur, ſic-

que labia ipſius vulneris, ſuturâ ſimplici & æquabili, lege artis conſuantur, cavendo ſaltem, ne Vaſa majora, arteriæ, venæ, nervi, tendines &c. acu trajiciantur, etiam ne nimis rara, vel nimis crebra ſit ipſa ſutura, relicto etiam alicubi foramine pro exitu materiæ, & introitu medicamentorum neceſſario. *Suturâ.*

XXIX. Succedit in curatione Vulnerum ſuſcipienda eorum *mundificatio*, ad conſolidationem aliquando feliciter obtinendam neceſſaria; quæ quidem nunc ſine ſuppuratione obtinetur, ſi ſc. Vulnus recens, ſuperficiale, parvum, ſimplex, & benignum extiterit, nunc eandem neceſſariò requirit, ſi Vulnus jam aliquandiu duraverit, ſi magnum, profundum, complicatum, & malignum ſeu venenatum fuerit. Obſervavi in noſodochio Lentzburgenſi, apud Milites ex conflictu ſauciatos, ſatis magna interdum Vulnera abſque ulla ſuppuratione ſatis citò coaluiſſe, ſi nempe prima deligatio convenienter facta ad aliquot dies immutata relinqueretur, ſed ita tamen, ut ſplenia vel plumaceoli orificio Vulneris incumbentes, affuſione *Tincturæ vulnerariæ* de novo ſæpius humectarentur; quam ipſam methodum, velut arcanam & ſummè æſtimabilem exercuit alibi *laudatus* noſter *Mathyſius*. Aliàs iſta methodus, Chirurgis caſtrenſibus valdè eſt conveniens propterea, quòd Vulnera citiſſimè ad cicatricem promoveat, cùm altera conſuetudo, ubi negotium ſuppurationi committitur, curationem valde in longum protrahat. Si itaque ſuppuratio evitari poſſit, per conditiones ſuperiùs dictas, tum quidem ad Vulneris exterſionem ſuffecerit *Spiritus Vini ſimplex calefactus*, vel *Vinum album* ſimplex, aut *virtute* quorundam incoctorum *aromaticâ* imbutum, vel *Aqua vulneraria, Eau d'Arquebuſade*, vel tandem efficaciori nomine Tinctura quædam *balſamica* & *vulneraria*, v. gr. ex *Myrrhâ, Aloë, Thure, Camphora* &c. cum *Spiritu vini Sale armoniaco* acuato extracta; ejuſmodi, inquam, *Liquores* ad eluendas Vulneris ſordes quàm optimi ſunt, ac planè ſufficiunt, ubi conſolidatio citra puris proventum ſperari poteſt. In Vulnere recentiſſimo, cum fibræ & vaſcula adhuc ſunt mollia, vel minus exaſperata, ut & ef-

Vulnerum mundificatio, duplex, cum vel ſine ſuppuratione.

Mundificatio vulnerum abſque ſuppuratione.

fuſi

fuſi Humores cavum Vulneris occupantes nullam corruptionem notabilem, vel ſponte ſua, vel ab aere externo acquiſiverunt, tùm verò citiſſima conſolidatio exſpectari poteſt, ſi poſt elotionem factam, labia ocyùs adducantur, ut ſanguis ulterior interfluens Balſami naturalis inſtar unionem reparare poſſit; vel ſi *Balſamica* præſtantiſſima immittantur, quemadmodùm ſunt eo nomine celebria multorum *Balſama vulneraria*, *Arcæi*, aliorumque compoſita, quorum vices tamen quàm optimè inire poteſt *ſimplex Balſamus Peruvianus*, vel *Tolutanus*, vel de *Copayba*, vel alia ſimplicia conſolidantia, ut *Terebinthina*, *Gluten fabrorum*, *Ol. Melilot. hortenſ.* & innumera ejuſmodi, quæ brevitatis cauſâ prætermittam. Si autem ea ſit Vulneris conditio, ut futuram ſuppurationem inevitabilem Chirurgus agnoſcat, in hoc caſu *Digeſtiva* ſic dicta ad promovendum naturæ opus adhibentur, quo nomine familiare nobis erat *Unguentum*, ex *Terebinthina*, *Vitello ovorum*, *Melle roſaceo*, & *Croco* &c. paratum, quotidie bis præmiſſa exterſione cum plumaceolis Vulneri indendum; cujus quidem uſus in Caſtris adeò eſt præclarus, ut præ ipſo alia cuncta poſthaberi poſſint. Si proventus materiæ ſit largus & benè procedens, ejuſmodi *Digeſtivo* intermiſcenda venit *Tinctura Myrrhæ*, *Aloës* &c. ſi autem carnes valdè ſuccreſcant, *Euphorbium* vel *Mercurius præcipitatus* immitti debet. Ejuſmodi autem *digeſtivo* Vulnus tamdiu tractandum, donec ſuppuratio ad finem ſit perducta, & proclivis ad conſolidationem via reddita, quod ex arte Chirurgo innoteſcere debet. Innumera ſunt alia, quæ ad Vulnerum mundificationem magnis laudibus à ſuis quæque Authoribus deprædicantur, quemadmodùm præter *Balſama* ſuperiùs jam commemorata ſunt: *Maſtix*, *Thus*, *Myrrha*, *Colophonium*, & *Gummata reliqua*, *Reſina larignea*, *abiegna*, *picea*, *Oleum hyperici*, *Lauri*, *Meliloti hort. Momordicæ*, *Roſar. Violar.* &c. *Ol. Terebinth.* vel *Balſamus Sulphuris terebinthin.* cum *Balſamo peruviano* temperatus, *Theriaca* in *Spiritu Vini* ſoluta; quibus accedunt nonnunquam *Pinguedines*, vel *Axungiæ*, *Serpentum*, *Viperarum*, *Hominum*, *Murium alpino-*

Mundificatio vulnerum per ſuppurationem.

Alia digeſtiva.

rum,

rum, (Murmelthierlein-Schmaltz) *Butyrum recens*, & ejuſmodi, ex quibus diverſimodè combinatis reſultant *Balſami* & *Unguenta* infinita, quæ traduntur à *Minderero*, *Hildano*, *Würtzio*, *Arcæo*, *Barbette*, *Dolæo*, *Poterio*, aliiſque. Minimè autem imitandam cenſeo vulgarem Chirurgorum conſuetudinem, quando recentibus etiam Vulneribus ſtatim *ſuppurantia* immittunt, opinione inducti falſiſſimâ, quævis Vulnera ad ſuppurationem diſponenda, adeoque *emollientibus* & *maturantibus* primò, tunc *mundificantibus*, ac poſtremò *ſiccantibus* & *cicatrizantibus* tractanda eſſe, cùm certum ſit, hanc methodum ſubinde præter neceſſitatem Vulneris ſanationem prolongare. Plurima enim Vulnera, cùm eſſent recentia, licet majora interdum, citra ſuppurationem ſanabilia obſervavi, ſi modò *Liquore* quodam *ſpirituoſo*: ex. gr. *Spiritu Vini rectif.* ſimplici, vel *camphorato*, *Spiritu matricali*, *Reginæ Hungar.* *Sale volatili oleoſo*, vel qualicunque *Spiritu* conſimili, aut *Eſſentiâ* quâdam *vulnerariâ* cum *Spiritu Vini rectificatiſſimo* extractâ imbuerentur, & confeſtim arctè deligarentur; hoc pacto, inquam, etſi quàm ſimpliciſſimo, ſæpiùs intra bidui vel tridui ſpatium vulnus coaluiſſe compertum habeo. Sicut idem aliquando ab impoſitis *Foliis Ariſtoloch. Millefolii*, aut ſimilibus, recenter contuſis, cum *Vino albo* nonnihil maceratis & calefactis, vel à *Balſamo* quodam immiſſo, aut ipſo tantùm Sanguine, tanquam naturali optimo glûtine, præſtari jam ſuperiùs commemoravi. Experimentum hujuſmodi circa *Spiritum Vini* ſeu *phlegmaticum*, ſeu *rectificatum*, inivit Chirurgus quidam Neapolitanus, & præter ipſum hodie innumeri caſtrenſes Chirurgi, videlicet exceptum plumaceolis Spiritum calefactum vulneribus immittendo, vel etiam per ſiphonem in receſſus cavitatis inſpergendo, cum addita convenienti deligatione, nunc cum, nunc ſine *emplaſtro*, quo pacto non ſolùm ſtagnatio, corruptiove Humorum circa vulnus, ac ulteriora accidentia præcaventur, ſed etiam citiſſima, ac interdùm planè mirabilis ſanatio impetratur. Excipienda tamen ab hujuſmodi tractatione ſunt, Vulnera quæcunque minùs re-

Error Chirurgorum.

Præſtantia ſpirituoſorum in vulneribus recentibus.

Experimentum circa Spiritum Vini.

D centia,

centia, valdè magna & profunda, inæqualia, complicata, veneno imbuta, & præſertim quæ per contuſionem, dilacerationem, ac terebrationem, ſicut à globulis ſclopetariis fieri ſolet, infliguntur, utpotè in quibus omnibus neceſſaria eſt ſuppurationis exſpectatio, quæque proin traumata maturantibus ac digeſtivis, ut ſupra indicatum eſt, tractanda veniunt.

Vulnerum conſolidatio. XXX. Quod ſi cum Vulnere res eò pervenit, ut corrupti humores ſufficienter exhauſti, fibræ & vaſcula hinc inde ſatis mollia atque pervia exiſtant, tunc omnia quidem ad Vulneris conſolidationem diſponenda veniunt; quod quidem, etſi ſolius naturæ ſit opus, ac ſucci nutricii, lege circulationis ad omnes partes diſtributi, tanquàm incomparabilis Balſami beneficiô perficiatur, nihilominùs Chirurgo tanquam naturæ cuſtodi incumbit, eandem in ſpontaneo illo opere, quantum eſt in artis poteſtate, adjuvare, ejus ductum ſequendo, ac præſertim removendo omnia impedimenta, tùm interna, tùm externa, quæ ſcilicet felicem Vulneris reunionem retardare, vel prohibere poſſent. Itaque hunc in finem labia Traumatos ad ſe invicem probè adducenda, & applicanda medicamenta, quæ alcalinâ plus minùs oleoſâ volatilitate ſuâ, affluxum ſucci nutricii gelatinoſi & balſamici, ejuſque ad partes vulneris applicationem promovere poſſint; cujus generis remedia à Medicis promiſcuè *Traumatica*, *Sarcotica*, *Balſamica*, *Epulotica*, *Conſolidantia* vocantur. Ex eorum familia caput extollunt: *Pulvis Rad. Ariſtoloch. rot. ver. Biſtort. Symphyt. Virg. aur. Cortex* *Recenſio conſolidantium.* *medianus quercuum*, *Folia Ariſtoloch. rot. & long. Betæ*, *Plantaginis*, *Gratiæ Dei*, *Sonchi*, *Lichenis petræi*, *Cymbalariæ*, *Flores Papav. rhead. Balauſtior. Roſ. rubr.* deinde *Myrrha*, *Olibanum*, *Aloës*, *Maſtiche*, reliquaque *gummata*; nec non pulveres exſiccantes & abſorbentes, *Boli armen. Terræ ſigill. Oſteocoll. Tutiæ*, *Lapid. calaminar. Plumb. uſt. Antimonii diaphoret. Spodii præparati* & ejuſmodi, quibus addenda præſertim excellentiſſi- *Terebinthinæ elogium.* ma Balſamica liquida, *Opobalſamum*, *Balſamus peruvianus*, *tolutanus*, *indicus albus*, nec non *Terebinthina*, quæ vel ſola omnium

omnium vices ſupplere poteſt, ac diverſo tempore vulneribus adminiſtrata, promiſcuè nunc maturantis & digeſtivi, nunc mundificantis, nunc ſarcotici vel conſolidantis nomine venire poteſt; Id genus remedia autem, ſi diligenter & accuratè adhibeantur, ſuccos in & circa vulnus in ſuâ balſamicâ dulcedine conſervando, ut & fibras atque vaſcula convenienter emolliendo, præclarè carnis generationem adjuvare, ac poſtremo cicatricem vulneris promovere ſolent, eò id magis, ſi etiam interna Traumatica quàm præſtantiſſima fuerint uſurpata, de quibus inferiùs plura monebo.

XXXI. Hucuſque diſſeruimus, quomodo & quibus auxiliis Vulneri inflicto occurrendum ſit, quò illud naturè ad cicatricem perducatur; cùm verò in quibuſdam caſibus urgentia interveniant Symptomata, Chirurgo licèt peritiſſimo plurimum obſtaculi faceſſentia, hinc meritò ſpecialis eorundem conſideratio inſtituenda, ut in tempore debita præſidia adhibeantur. Quod itaque primò attinet *Dolorem* vulnera concomitantem, ille utplurimùm ſibi relinquitur, cùm ſponte ſua etiam declinet, quando ipſum vulnus convenienter tractatur; ſi verò adeò acerbus ſit, ut etiam convulſiones minitari videatur, quemadmodum circa Nervorum ac Tendinum læſiones accidere ſolet, tunc meritò peculiaria quædam remedia ipſi opponuntur, *balſamica, emollientia, paregorica*, quo nomine excellet *Terebinthina* cum *Oleo Lauri, Balſamo peruviano*, vel *tolutano*, in digeſtivum redacta, ac pro lubitu *Oleo deſtillato Lavendulæ, Meliſſæ, Succini, Majoranæ, Hyperici, Tereb.* acuata; nunc etiam cum *Saccharo Saturni* permixta. Aliàs prodeſt *Oleum Scorpionum* cum *Saccharo Saturni* illitum; vel *lumbricalia* quæcunque, *Oleum, Spiritus, Sal volat.* &c. Terebinthinæ aſſociata. Quin etiam locus concedi poteſt *Fomentis nervinis & paregoricis*, ex *Herbis Majoranæ, Meliſſæ, Roriſmarini, Rutæ, Anethi, Abrotoni, Serpilli, Verbaſci, Parietariæ, Solani, Hyoſcyam. Scrophular. Floribus Chamom. Melilot. Tuſſilag. Calend.* &c. cum *Vino albo* diligenter paratis; vel *Cataplaſmatibus* ex *Mica panis, Theriacâ*

Curatio ſymptomatum externorum, quæ vulneribus accidunt.

Dolor curatur

Balſamicis ac paregoricis.

Fomentis.

Cataplaſmatibus. *Theriacâ Andr. Elect. diaſc. Philon. romano, Terebinthina, Vitello ovorum, Melle* & *Lacte* paratis. Ex adverſo proſcribimus omnia *Oleoſa craſſa* & *pinguiora*, tanquàm maximè nociva, quæ ſc. non ſolùm poros magis infarciunt, ſed & acido ſuo Nervis inſenſiſſimo, doloribus, & inflammationi frœnum laxant, imò ſæpiùs Gangrænam teſte experientia multiplici inducunt.

Inflammatio curatur. XXXII. Deinde inter Vulnerum ſymptomata maximè urget *Inflammatio*, ægro æquè ac chirurgo multùm ſæpe faceſſens negotii. Ad hujus curationem ſuademus omnia ad promovendam ſanguinis & humorum circulationem diſponere, eumque in finem ilicò Venæſectionem in brachio aut pede ad ℥*viij*. vel 10. adminiſtrare, tùm etiam *Vulneraria* atque *Diaphoretica* interna præſcribere, qualia inferiùs deſcribenda erunt. Extùs interim *Epithemata* aut *Fomenta diſcutientia* quadrabunt, ex *Spiritu Vini ſimplici*, vel *camphorato*, vel *Spiritu Theriacali camphorato, Spiritu Reginæ Hungariæ, Matricali, Anhaltino, Phlegmate Vitrioli* ſpirituoſo, aut ſimilibus liquoribus, lege artis parata; addendo interdùm majoris acuminis gratiâ *Spiritum ſalis* ammoniac. *Eſſent. Croci, Myrrhæ*, &c. Nonnunquam *Alcalina ſicca* immittuntur, ut ſunt *Bolus alba*, vel *rubra* qualiſcunque, *Creta colonienſis, Tutia, Lapis calaminaris, Saccharum ſaturni, Ceruſſa*, &c. Interdùm ſufficit *Aqua Calcis vivæ*, cum vel ſine *Spiritu Vini*, calidè cum linteis vel ſpongia frequenter applicata, cui ſi permiſceas, *Camphoram, Diaſcordium*, & *Theriacam*, habebis *Aquam ad Gangrænam Celeberrimi Dolæi.*

V. ſectione. *Traumaticis ac Diaphoreticis.* *Fomentis diſcutientibus.*

Convulſio vulnera excipiens curatur. XXXIII. Si *Spaſmus* Nervorum vel Tendinum vulnera excipiat, tunc intùs proderunt *temperantia* ac *demulcentia*, inferiùs ſuo loco præſcribenda; extùs autem *paregorica* & *nervina* ritè adminiſtrata, quo nomine excellunt ea, quæ jam ſuperiùs ad leniendos vulnerum Dolores adduximus, præſertim *oleoſa balſamica*, quemadmodùm eſſe poteſt omnium loco *Terebinthina*, cum *Eſſentia Caſtorei, Succini*, ut & *Oleo deſtillato Lavendulæ, Majoranæ, Chamomill.* ac *Saccharo ſaturni* permixta. Si Vulnus eſt veneno imbutum, idque à

Internis. *Externis.*

morſu

morſu animalium rabidorum, vel quomodocunque, tunc illud *Spiritu Vini rectificato, camphorato, theriacali*, vel ſimili liquore, ilicò diligentiſſimè eſt eluendum, etiam ſi profundiùs fuerit, lanceolâ ſcarificandum, & cùm effluxerit ſanguis ſufficienter, *Theriacâ*, vel *Mithridatio*, vel *Orvietano*, vel pulvere *Cancrorum calcinat. Viperarum, Bufonum, Scorpionum*, &c. replendum, deſuper applicando *Emplaſtrum magneticum Angeli Salæ*, vel Fomentum *nervinum* ac *diſcutiens* præſtantiſſimum; neque prius promovenda conſolidatio, niſi cum omne Venenum exiviſſe videatur. Si Vulnus venenatum ſit ſuperficiale, *Cauterium actuale* vel *Veſicatorium* ad extractionem, vel diſſipationem Veneni quadrabit. Quòd ſi *Convulſio* oriatur à Nervo vel Tendine non in integrum diſciſſo, tunc audacter abſolvendam per tranſverſum diſſectionem ſuademus, cum omninò ſit melius, partem ſenſu, quàm ægrum vitâ privari. Tendines autem majores, cùm fuerint æqualiter tranſverſim diſſecti, nonnunquam lege artis conſuere licebit, cum experientia felicem ſubinde hujus encheireſis ſucceſſum declaraverit; Quemadmodùm *Celeb. Ettmüllerus* autoptes teſtatur, Pariſiis Juveni cuidam tendines carpi ad unum omnes tranſverſim diſſectos fuiſſe, quos Chirurgus peritus per artificioſam ſuturam ita rurſus conjunxerit ac ſanaverit, ut & manûs & digitorum motu poſtliminiò uteretur. Quin etiam novi filium Chirurgi cujuſdam galli, Argentorati degentis, fortè per ſcalpellum tres Tendines, pollicis, indicis & digiti medii, in metacarpo jacentes diſſecuiſſe, qui per ſuturam à peritiſſimo ejus parente acu ſubtili convenienter adminiſtratam, denuò coaluerunt, cùm nulla eorundem motûs jacturâ.

Sutura tendinum. *probatur exemplo.* *alio.*

XXXIV. Periculoſum quoque ac ſubinde funeſtum ſymptoma vulnerum eſt *Synovia*, quæ Ægris atque Chirurgis multum faceſſit negotii, & ſubindè partium *Atrophiam* relinquit; ad quam impediendam optima ſunt *edulcorantia, nervina, & ſubadſtringentia*, tum in formâ pulveris, tùm fomentorum legitimè adminiſtranda. Pro *Fomentis* commendo *Radices Ulmariæ, Urticæ Plantag. Bardanæ, Biſtortæ, Torment.*

Synovia curatur *edulcorantibus nervinis & ſubadſtringentibus.*

ment. Angelicæ, Ariſtoloch. Herbas Scord. *Alliar. Betonic. Chamædr. Abrot. Abſynth. Tanac. Menth. Rutæ, Origan.* &c. *Flores Roſ. rubr. Balauſt. Sanicul. Calend.* &c. cum Vino decoquenda, & cum linteis fervidè applicanda. Pro *Epithemate ſicco*, ſeu pulvere inſpergendo, commendarem *Bol. commun. vel armen. Terr. ſigill. Lap. calam. ppt. Os ſepiæ præparat. Tut. præparat. Diaph. martial. Sacchar. Saturn. C. C. uſt. Caput mortuum Cinamom. ſiccat. Terr. Vitriol. dulc.* &c. vulneri ſynoviam ploranti in formâ ſubt. pulver. inſpergenda. *Uſneam Cran. human.* cum *Laccâ pictorum* anaticâ portione, vel pulverem *Calvariæ human.* cum linteis concerptis immiſſum Chirurgus quidam pro ſecreto habuit. *Aqua ex Cancris fluviatilibus contuſis* cum linteis duplicatis calidè applicata, non tantùm Synoviam ſiſtit, ſed etiam dolores ac inflammationem minuit. Euporiſton eſt *Stercus porcinum* cum ſanguine vulneris in cataplaſma redactum, & vulneri Synoviam fundenti calidè ſæpiùs applicatum. Sunt qui linteum *Sanguine* virginis *menſtruo*, primo imbutum, vel humidè vel ſiccè applicatum, pro certiſſimo habeant. Sunt & alia ſuperſtitioni propiora.

Arcanum.

Paralyſeos ac atrophiæ curatio.

XXXV. *Paralyſis* ac *Atrophia* vulneribus ſuccedentia vix ac ne vix quidem remediis locum relinquunt, ut plerumque incurabilia eſſe obſerventur. Si Nervi prorſùs ſint diſciſſi, aut graviſſimè diſtorti vel contuſi, ſpes nulla ſupereſt; ſin tanta non ſit læſio, tùm intùs poſt univerſalia conducunt *Cinnabarina, Caſtorina* & *Succinata*, extùs autem tentari poſſunt *fomentationes aromaticæ* jam alibi deſcriptæ, *lotiones*, *frictiones*, interdùm & *unctiones* cum *Oleis deſtillatis*, quibus aliquandiu adhibitis niſi malum declinet, deſperatum eſſe ſcitur.

Abſceſſus, Ulcera vulneri ſuccedentia.

XXXVI. Vulnerum accidentia & ſequelæ interdum quoque ſunt *Abſceſſus, Ulcerave*, quæ verò cùm nihil habeant peculiare vel diverſum ab iis, quæ aliàs citra vulnus prægreſſum in caſtris frequentia, aut familiaria occurrunt, idcircò de iis alibi inferiùs ſpeciatim acturus ſum. Quòd verò attinet *Hyperſarcoſin* in cavo Vulneris aliquandò ſuccreſcentem,

Hyperſarcoſis curatio.

hanc

hanc in Caſtris helveticis nobis præcavere licuit, admixtione *Tincturæ Myrrhæ, Aloës* &c. cum *Spiritu vini armoniacato* extractæ, vel *Unguenti ægyptiaci*, vel immiſſione *Euphorbii* & *Mercur. præcip.* vel eandem præſentem tollere *Liquore calcis phagedænico*, vel *Alumine uſto* & *Mercurio præcipitato*, in pulveris forma immiſſo. In caſu neceſſitatis auxilio fuit *Butyrum Antimonii*, vel *Lapis infernalis.*

XXXVII. Superſunt igitur ex urgentioribus Vulnerum ſymptomatibus, *Gangræna* & *Sphacelus*, quæ tunc præſertim metuenda, ſi vulnus contigerit partes profundiores, ac vaſa majora, ſi contuſim, ruptim vel perforatim inflictum, ſi aëri externo fortè frigido aut fervido diu expoſitum, nunc etiam veneno imbutum ſit, tantò id magis, ſi ſauciatus impuro & cacochymo corpore præditus appareat. Itaque præſentibus ejuſmodi circumſtantiis ad præcavendam *Gangrænam*, vel jam præſentem removendam, nihil tutius, nihilque efficacius experiri nobis licuit *Fomentis ſpirituoſis, nervinis*, & valdè *penetrantibus*, qualia ſuperiùs jam circa *Inflammationis* curam videri poſſunt; inter alia autem apud Heroës noſtros helveticos probatiſſimum habuimus *Vinum album generoſum*, ſuper *Radices Angel. Imperat.* &c. *Herbas Abſynth. Abroton. Majoran. Meliſſ. Origan. Serpill. Menth. Calaminth. Salv. Rut. Scordii, Chamom.* &c. fortiter decoctum & colatum, hinc dum adhuc ferveret cum *Spiritu vini rectificato* ad mediam partem permixtum, ulteriùs injiciendo *Myrrham, Crocum* & *Camphoram*; quo liquore calente imbuta lintea tenera ſauciatæ parti frequentiſſimè applicabamus. Sed juxta hæc ſimul intùs proſpiciendum *Bezoardicis* atque *Vulnerariis*, neque committendum, ut aëri, dum vulnus deligatur, acceſſus diu permittatur, ut frigidis manibus contrectetur, ut halitu ipſius Chirurgi imbuatur, vel denique oleoſis craſſis medicaminibus relinquatur locus. Si pars jam ſit ſphacelata, tunc ſimile fomentum, vel ſolus *Spiritus theriacalis*, vel *Vini camph.* fervidè ſæpius applicandus, ac interim portio nigra & mortificata cultellô vel quomodocunque ſeparanda. Quòd ſi verò membrum aliquod profundiùs ſit gangrænatum, ejuſque

Gangrænæ & Sphaceli cura.

que reſtitutio nulla ſperari poſſit, tunc ad amputationem ſine mora eſt properandum, cujus adminiſtrandi modum ſub finem *primæ hujus Diſſertationis* exhibebo.

Cura ſauciatorum militum interna. XXXVIII. Hactenus quæ ad Vulnerum curam externam ſpectant, exaravimus, quæ dum ſedulò adminiſtrantur, neceſſum eſt, internis quoque præſidiis laboranti naturæ ſuccurrere, quo tantò citior & felicior ſanatio obtineri poſſit. Quâ intentione ductus Chirurgus omnia eò diſponere debet, ut Sanguis in debita ſuâ mole, temperie atque motu conſervetur, vel ſi inde declinaverit ad qualecunque vitium & corruptionem, ab hac legitimis præſidiis vindicetur, quò ſic nutricius ſuccus, ceu Balſamus vulnerum naturalis congruam obtineat indolem, & aptitudinem integritati partem læſam reſtituendi. Itaque ab initio ſtatim, ſi vulnus grave exſtiterit, *Venæſectio* inſtituenda, ut diminuta ſanguinis mole, Cordis & Arteriarum vis creſcat, hinc major circulationi libertas concilietur, eoque ipſo pabulum Inflammationi, Febri, Hæmorrhagiæ, Lipothymiæ, Convulſionibus &c. ſubtrahatur. Deinde niſi magna ſit virium jactura, aut ſimile contra indicans, convenit *Laxativo* primas vias ſollicitare, ex *Rhab. foliis* Senn. *Mannâ*, aut ſimilibus l. a. parato, cui cum deſit magna acrimonia, idcirco ex ejus uſu nihil mali formidandum eſt, ut potiùs cruditatum, ſi quæ fuerint collectæ, fauſta & ſanationi favorabilis evacuatio exſpectanda veniat. Præter iſta autem adhibere convenit Remedia *alcalina* & *balſamica*, *vulneraria*, inquam, ſic dicta, quæ ſanguinis dulcedinem conſervando, ſucci nutricii circa Vulnera laudabilem proventum exhibere poſſint; quem in finem in forma *Decocti* excellere deprehendimus: *Rad. Ariſtoloch. rot. ver. Plantag. Ulmar. Virg. aureæ, Helenii* &c. *Herbas Alchym. Agrimon. Betonic. Hyperic. Sanicul. Pyrol. Pervinc. Veronic. Virg. aureæ, Hepatic. nob. Heder. terr. Artemiſ. Anſerin.*&c. *Flores Papav. rh. Roſ. rubr.* &c. in *Aqua* & *Vino* l. a. decoquenda, & colaturam quotidie ter ad unciam unam vel plures in uſum vocanda. In forma *pulveris* Helveticis militibus magnum tulerunt auxilium: *Folia Lichen. petr. Piloſell.*

Venæſectio. *Laxativum.* *Vulneraria* *in forma Decocti.* *Pulveris.*

ſell. Veronic. Virg. aureæ &c. deinde abſorbentia cuncta: *Oc. cancr. C. C. Spod. Corrall. rubr. Mandibul. Luc. piſc. Unic. foſſ. Conch. Terr. ſigill. Bol. armen. Antimon. diaph. Diaph. Jovial. Martial.* ut & *Myrrha, Maſtix, Succinum,* & ejuſmodi, quæ vel ſola, vel cum aliis mixta pro ſymptomatum exigentiâ, quotidie bis vel ter ad ʒß. cum hauſtu vulnerario porrigebantur. In forma liquidi ſuccincta nobis in promptu erant: *Eſſ. Myrrh. Succin. Betonic. Hyperic. Mumiæ, Sal volat. oleoſ.* &c. Interdum egregias vires experti ſumus *Eſſentiæ traumat. Hagendornii,* cujus hæc eſt deſcriptio: *Eſſentiæ.*

℞. *Mum.*
Sang. Drac. ana ℥j.
Terr. japon.
Myrrh.
Rad. Torment. ana ℥ß.
Flor. Roſ. rubr.
Hyperic. ana ʒij.
Santal. rubr. ʒiij.
Nuciſt. ʒj.

Pulveriſata groſſiuſculè Spiritu Vini tartariſato extrahantur.

Quin etiam egregii ſunt uſûs *Balſamus peruvianus, tolutanus, de Thilli, de Copayba*, vel per ſe, vel cum *Sale volat. oleoſo* mixta, non ſine potu traumatico in uſum vocanda. In Pilulis prodeſſe ſolet omnium locô *Terebinthina* cum *Diaph. Jovial.* & *Sanguin. Drac.* in globulos formata, vel ejus loco ſumatur *Extractum vulnerarium Hyperic. Plant. Numular.* vel ſimile. *Cymbalariæ,* herbæ illius in officinis hactenùs inuſitatæ, virtutes eximias vulnerarias ſingulari cum eruditione & experientia produxit, atque condignis elogiis exornavit *Literatiſſ. Dn. Candid. Hermannus, amicus & commenſalis meus* optimus, in *Diſſertatione peculiari circa eandem plantam.* Quod verò attinet *Vulneraria ſpecifica ſarcopœja,* ſ. *carnem generantia,* quorum nulla non Vetula, nullus Barbitonſor, nullus non Carnifex, aliquod arcanum poſſidere glo- *Balſami.* *Pilularum.*

riatur, ea mihi generoſiori animo aſpernanda, & pro chimæris habenda eſſe videntur.

Febris vulneraria curatio. XXXIX. Quemadmodùm verò graviora Vulnera confeſtim *Febris* excipere ſolet, ideoque etiam hæc obſervanda venit, ut ſicubi acuta evadat, debitis medicamentis temperetur. Quo fine præter Venæſectionem, & lenem purgationem, conduxerunt militibus noſtris *blanda Diaphoretica, Traumaticis* convenienter aſſociata; ex. gr. *Ant. diaph. Bez. min. Viperæ præparat. Sang. Hirc. Dens apr. Conch. præpar.* quibus accedunt *Salina, Nitrata* & *Cinnabarina*; in forma liquida autem *Tinct. Bezoard. Lud. Eſſent. Myrrh. Spir. Salis arm. aniſ.* &c. quæ quidem juxta *Vulneraria* eum in modum adhibenda, ut tranſpiratio continuè larga, ſubindè ad ſudorem uſque procedat.

Hæmorrhagiæ ſauciatorum curatio. XL. Cùm creſcente Febre accideret larga narium *Hæmorrhagia*, tanquàm invaleſcentis in ſanguine motûs & turgeſcentiæ ſymptoma, eam aliquouſque durare permiſimus, donec vel ſponte ceſſatura videretur, vel propter imminentem Lipothymiam neceſſariò cohibentia poſtularet, quo fine citò juvare ſolebat: *Spongia aceto*, vel *Spiritu vini turgida*, & naribus applicata, vel *Stercus ſuillum*, inter linteola admotum, ſi intùs ſimul *Laud. op. gr. ij.* cum *Aqua lactucæ* propinarentur. Aliàs ſingulare nobis fuit, ejuſmodi ſanguinis profuſoribus, cùm ſiſtendi fluxum tempus eſſet, *hauſtum Aquæ ſatis frigidæ largum* concedere, ex quo euporiſto confeſtim ſæpè ſæpiùs Hæmorrhagia ceſſavit.

Lipothymiæ cura. XLI. Si *Lipothymiâ* vulneratus miles afficiebatur, pro interno uſu nobis præſtò erant: *Liquores cardiaci, Spirit. Sal. ammon.* & *Eſſ. caſtor* ulteriùs acuendi, dum extùs *Frictiones calidæ, ſpirituoſa* atque *ſenſus ſtimulantia* adhiberentur.

Convulſionum cura. XLII. Si *Convulſiones* ſauciato acciderent, prognoſin fecimus de ancipiti ejus ſtatu, vel certè jam deſperato; interim præmiſſa *Venæſectione*, ſi opus quidem fuerit, *Mixturam* quandam *cardiacam*, cui *Cinnab. Ant. corr. Eſſ. Opii Lang.* & *Caſtor.* ineſſet, quoad liceret, adminiſtrare conſuevimus; dum extus ea præſtarentur, quæ in ſuperioribus alibi commemorata ſunt.

XLIII.

XLIII. Cùm autem apud omnes in confeſſo ſit, negligentiam circa ſex res non naturales, apud Vulneratos milites, variis ac ſubindè graviſſimis ſymptomatibus anſam ſubminiſtrare, ideoque ſupereſt, quid circa *Diætam* ſit obſervandum, exponamus. Victûs rationem itaque ſauciatis tenuem & exquiſitam imperamus, ſubinde tamen pro uniuſcujuſque ſingulari conſtitutione, aliter atque aliter modificatam, ut aliquibus, ſtomacho ſc. robuſtiori prædītis, cibum largiorem, aliis contrà non niſi parciſſimum indulgeamus. Quemadmodùm verò Ciborum copia, ſive excedens, ſive deficiens obeſſe ſoleat, præclarè *Hippocrates Sect. 2. Aphor. 4.* edixit: *Non ſatietas, non fames, ſi naturæ modum exceſſerint, bonæ ſunt.* Exceſſus enim vel plethoram, vel cruditates & intemperies gignit, eoque ipſo Vulnerum ſanationi eſt impedimento: Defectus autem, humores atque ſpiritus conſumit, habitum & vires extenuat, eoque longiorem morbum, & magis difficilem producit. Quod verò attinet *qualitatem Victûs*, Vulneratis aptiſſima cenſentur *Juſcula carnium conſumata, gelatinoſa, balſamica* & quæcunque *ſucculenta* ac *eupepta*, ſed minimè viſcida, cruda, acida, dura, phlegmatica. Quocirca tamen pro uniuſcujuſque idioſyncraſia & conſuetudine, præcepta eſſe varianda, tùm ſana ratio, tùm experientia ſuadet, eoque *Hippocrates* inclinat, cùm dicit: *Conſuetudinem eſſe alteram naturam*, & quando *Sect. 2. Aph. 38.* ſcribit: *paulò deteriorem & potum & cibum, verùm jucundiorem, melioribus quidem, at injucundioribus præferendum eſſe.* Item *Sect. 2. aph. 50.* Conſueta *ex multo tempore, etſi deteriora, inconſuetis tamen minus nocere.* Quorum aphoriſmorum veritatem inter copias Bernatum bellicas oppidò mihi licuit obſervare; qui enim tenerioris erant complexionis, ut gallici, (die welſchen Berner) cùm eſſent vulnerati, præter *Juſcula, Gelatinas, Hordeum, Ova ſorbilia, & Carnes vitulinas* vix quicquam tolerabant; cùm ex adverſo, qui durioris erant texturæ, velut die Oberhaßler und Emmenthaler / etiam graviter vulnerati, duriores *carnes*, *bovinam*, verſtehe auch Stieren⸗Fleiſch / *porcinam*, *vervecinam*, ex iiſque

Diæta vulneratorum.

Ciborum quantitas.

Qualitas.

Naturæ & Conſuetudini indulgendum.

Obſervatio circa copias Bernatûm.

confecta interdum *farcimina*, ac *fumo induratas portiones*, nec non *Caſeum*, Hoſenbendler/ & *Lacticinia* quævis, abſque damno aut impedimento ſanationis in uſum vocarent; ut vel hoc exemplo appareat, quemadmodum naturæ & conſuetudini ſubinde indulgendum veniat, non eo tantùm fine, ut palato ægri gratificemur, ſed præſertim ut hâc indulgentiâ ſalutares naturæ conatus promoveamus, quandoquidem vel ſolâ appetitûs & deſiderii ſaturatione Morbos nonnunquam ſuperari ab experientia diſcamus: cujuſmodi exemplum nobile inter alia commemorat *Hildan. Cent. I. Obſerv.* 37. Potûs loco, nunc *Juſcula* ſufficiunt, cum *decoctis vulnerariis* per diem aliquoties hauriendis, nunc additur *Ptiſana*, ex *Hordeo*, *C. C. raſp. Dactylis*, *Zibebis*, & *Sem. Aniſi* parata. An *Vinum* ſauciatis ſit concedendum, nec ne? contentioſè diſputatur, quamobrem quid circa hunc potum in expeditione noſtrâ apud milites obſervaverim, verbo tantum commemorabo; nimirùm duplicis erant nationis Bernatum Copiæ, hinc ex ditione gallicâ, (*du Pays de Veaux*) inde autem ex germanicâ contractæ: Gallici milites, (die welſchen Berner) utpotè à teneris unguiculis Bachi floribus aſſueti, in quemcunque Vulneris caſum inciderent, Vino nequicquam carere poterant, quin ex ejus defectu vel interdictione, ocyùs Dyſpepſiam, Nauſeam, Vomitum, Colicam, Diarrhœam, aliaſque moleſtias experirentur, non prius ceſſaturas, quàm jucunda naturæ ſaviſſent pocula: Vulneratis autem ex *Germanicâ ditione*, (den Oberärgöuern/ Lömmeleren/ Höſleren) qui Meris Lacticiniis ab infantia ſunt innutriti, his inquam Vini uſus nonſolùm non prodeſſe, ſed & Vulnera cum Febri, & reliquis Symptomatibus confeſtim & notabiliter exaſperare ſolebat, & quemadmodum illis Vinum, ita his *Lac calidum*, ſubindè vulnerariorum virtute imbutum, optatiſſimo fuit ſolatio; quâ obſervatione docemur, nunquam adeò principiis ſuis inhæreſcendum Practico, quin omni tempore ad naturæ varietatem illa modificare paratus ſit. Circa *Aërem* notabo, illum ſanationi Vulnerum valde officere, cùm exceſſivè craſſus vel tenuis,

Obſervatio circa uſum vini apud vulneratos.

Lac calidum.

Aër.

tenuis, calidus vel frigidus, humidus vel ſiccus, interdum & occultis miaſmatibus nocivis imbutus fuerit. *Motus* Vulneratis aliquis eſt concedendus, quamprimùm per vires, ac Vulneris conditionem licebit, quò ne longior mora in lecto, longiorem reddat ipſum morbum. *Somnus* eſto modicus, octo incirca horis circumſcriptus. *Tranſpiratio*, & reliqua naturæ beneficia libera ſunto, vel artis ope promoventor. *Animus* denique vulnerati omni modo ad tranquillitatem, & ἀπάθειαν diſponatur. Ea niſi liceat abs Ægro impetrare, tunc certum eſt, ejus valetudinem & vitam in majori diſcrimine verſari. Cùm itaque ex præmiſſis intelligatur, in præſcribenda diæta plurimum intereſſe, ut ad cujuslibet ſubjecti idioſyncraſian & conſuetudinem diligenter attendatur, hinc meritò reprehenſionem merentur caſtrenſes quidam Chirurgi, Vulneratis ad unum omnibus idem *Diætæ acumen*, poſthabitâ circumſtantiarum conſideratione, injungunt, inexcuſabili ſuâ ignorantiâ & crudelitate, ſemper eâdem erga miſeros chordâ oberrando, ac ſæpe ſæpiùs Herculis cothurnos infantibus applicando, ipſoque hoc ſpecimine, cerebri ſui Vermes, an dicam Crabrones im̄enſos (Donnergugen/Hurnaußen und Weſpen) exercendo; ſub impio quidem prætextu & vano argumento, conductos milites omninò rigidiſſimis Diætæ legibus ſubjugari debere, cùm probabile ſit eos ità citiùs atque feliciùs ſanatum iri; non advertentes, ſæpenumerò plus detrimenti, quàm com̄odi exinde in ſauciatos redundare. *Quid multis?* neſciunt illegitimi præclaræ artis filii ad naturæ nutum inclinare, ac nihilominùs tamen magni in ſua profeſſione Heroës haberi cupiunt, dum à Prudentioribus, ſicut *Cumanus Aſinus*, ignorantiæ & imperitiæ auribus dignoſcantur, ac ubi verberibus, ut aſinum decebat, excipiuntur, mox proprio rugitu ſeſe prodant.

Motus. *Somnus.* *Tranſpiratio.* *Animus vulnerati.* *Caſtigantur Chirurgi caſtrenſes.*

XLIII. A Vulneribus in genere quâ theoreticè, quâ practicè deſcriptis, me conferam ad *Contuſiones, Fracturas*, & *Luxationes* ſpeciatim exponendas, quod eo quidem modo exequar, ut cum in theoria Vulnerum prolixior fue-

Contuſiones.

 rim,

rim, nunc tantò ſuccinctiùs ſpeciales illas læſiones ſim traditurus. *Contuſio* dicitur, quando membra vel partes, ab inſigni duritie, & impulſu, vel reſiſtentia ſaltem obtuſi corporis, violenter comprimuntur, nunc etiam confringuntur; cujuſmodi quidem læſio ratione ſubjecti, cauſæ, ſymptomatum atque circumſtantiarum valde diſcrepant: ſunt enim *Contuſiones* nunc mites tantùm, vix ultra cutim effectu ſuo ſe extendentes: nunc magis violentæ, ac præter cutim muſculos etiam ſubjectos conquaſſantes: nunc tandem graviſſimæ, ne Oſſibus quidem, aut intimis partibus ignoſcentes. Deinde quædam *Contuſiones* in membra tantùm, aliæ etiam in ipſa Viſcera redundant, nunc cum, nunc ſine vulnere quodam externo illatæ. Ex *Contuſione* autem corpori illatâ, tanquam effectus ordine ſequuntur: *Dolor acerbus, Inflammatio, Sugillatio, Abſceſſus, Ulcus, Gangræna, Sphacelus*, quibus ſemper aſſociatur Febris, cum ſuis ſymptomatibus. Si *Contuſio* in *muſculos* magna fiat, ex fibrarum contritione oritur contumax liquidi ſtagnatio, putredo ac ſuppuratio, interdum Gangræna, nonnunquam Aridura, Paralyſis, Contracturæ, præſertim ſi *Nervi* vel *Tendines* majores fuerint concuſſi, utpote ex quorum conquaſſatione deſtruitur fibrarum elater, ut flacceſcentiæ in ipſa parte neceſſaria ſit ſequela. Si ipſa *Oſſa* conterantur, diffunditur atque corrumpitur medulla, hinc Caries, Ulcera, Fiſtulæ. Si Velamentis corporis cohærentibus nihilominùs *Viſcera* per validam concuſſionem quatiantur, tunc eorundem ſequitur Inflammatio, Suppuratio, Gangræna, cum Febri intenſa, & vitæ periculo. *Contuſiones Capitis* vehementes fibras Cerebri quatiunt, earundemque motum conturbant, hinc Deliria, Cephalalgia, Vertigo, Lethargus, Vomitus, Febris, cruoris per aures vel nares ejectio, tandem ex liquidi in Cerebro ſtagnantis putredine indies majori Apoplexia & Mors, cui adſtipulatur *Hippocrates Sect. 6. aph.* 18. cum dicit, non tantùm illam contuſionem & vulnus deleterium eſſe, quod ad Cerebrum ipſum pertingit, ſed & quod ipſum concutere ſaltem, ejuſque incolas tanquam vitæ authores peſſundare poteſt.

Idea.

Differentiæ.

Effectus generales.

Speciales.

Ex contuſione muſculorum.

Oſſium.

Viſcerum.

Capitis.

Con-

Contuſiones pectoris, per lapſum ex alto, vel aliter contingentes, producunt in poſteriori pectore vaſculorum attritum, liquidi ſtagnationem, Phlegmonem, Tuſſim, Hæmoptyſin, Dyſpnœam, Abſceſſum, Ulcus, Phthiſin, mortem. Non poſſum ſilentio hic involvere exemplum Contuſionis notabile, quod *Celeb. & Experientiſſ. Hoſpes meus* commemorat in *Theatr. Prax.* de Argentinenſi quodam, hîc Baſileæ tunc temporis commorante, qui cùm domo abfuiſſet uſque ad veſperam, jam ingruentibus tenebris eandem repetiturus, ad truncum arboris fortè in platea jacentem, graviter ſuum hypogaſtrium alliſit, unde confeſtim in Lipothymiam delapſus eſt, quam exceperunt Dolores hypogaſtrii inſignes, Iſchuria, Vomitus, ac Ventris intumeſcentia, nullâ interim, quod mirum eſt, læſione externâ abdominis præſente; dùm autem urinæ cunctarentur, Catheter veſicæ intruſus eſt, ſed fruſtrà, æger enim increſcente abdominis Hydrope & Febri, circa diem ſeptimum interiit; in cujus cadavere per *Joh. Rud. Zuingerum, Med. Doctorem & Philoſ. Prof. Clariſſ.* ejuſdem inſignis Famæ Viri filium, pro tempore Διδάσκαλον meum dulciſſimum, apertô offendebantur aquæ copioſæ cavum Ventris occupantes, portio quædam inteſtinorum gangrænata, ſed præſertim *Veſicæ fundum* amplo vulnere apertum, circum circa gangrænatum, atque prætumidum. *Obſervatio curioſa contuſionis in hypogaſtrium.*

XLIV. *Cura Contuſionum* vel externa eſt, vel interna: hæc coincidit cum curatione Vulnerum in ſuperioribus exaratâ, nimirùm Venæſectione, purgatione, Vulnerariis atque Diaphoreticis præſtandâ, ſymptomatibus interim, ſi quæ adfuerint urgentia, peculiaribus quoque remediis obviam eundo. Præterea tamen *Contuſa* peculiariter ſi vendicant ſtatim ab initio, *Medicamenta reſolventia*, quæ ſc. grumos ſanguinis hinc illinc collectos reſolvere, & vel ad priſtinam circulationem adigere, vel per tranſpirationem diſſipare poſſint. Quo nomine non ſine magno ſucceſſu uſurpavimus: *Sperma ceti recens*, unâ alterâve doſi cum juſculo propinatum, deinde *Viperas præparat. Lumbric. terreſtr. Milleped. præparat. Succin. alb. Mumiam, Pulv. ad caſum aug. &c.* addito interdum *Cura contuſionum, interna.*

interdum *Sale volat. C. C. Viperar.* &c. ad majus acumen; vel in formâ liquidâ: *Liquorem C. C. ſuccinat. Eſſ. Viperar. Croci; Caſtor. Spirit. volat. C. C. Lumbric. Viperar. Sal volat. ol. Spirit. ſal. am̃on. Tinct. bezoard.* & ejuſmodi. In progreſſu autem, niſi diſcuſſio ſucceſſerit, tranſire conſuevimus ad *Decocta traumatica*, cum abſorbentibus, interdum & ſudoriferis ſocianda. *Cura externa.* Quod verò *curam externam* externet, circa hanc ſequentes indicationes ſunt obſervandæ: *Indicatio.* (1) Si Vaſcula partis contuſæ adhucdum ſint integra, neque adeo attrita, quin ad priſtinum ſuum elaterem & functionem redire poſſint, tunc reſolutio tentanda, quo Sanguis hinc rurſus in tubulos ſuos conjiciatur, illinc per cutis poros inſenſibiliter diſſipetur. (2) Si Vaſa partis contuſæ prorſùs deſtructa ſint, Sanguiſque extrafuſus jam ad putredinem inclinet, tunc ad ſuppurationem res diſponenda. (3) Si Gangræna aut Sphacelus adſit, vel ſola pars affecta, vel membrum integrum eſt extirpandum: quod itaque primam attinet indicationem, ei velificantur *Lotiones, Embrocationes*, vel *Fotus ſpirituoſi* ac *penetrantiſſimi*: v. gr. ex *Spir. vini camphor.* cum *Spir. ſalis ammon.* vel *C. C.* aut *Lumbric. vol.* permixto parati, quos in caſtris & expeditione noſtrâ efficaciſſimos deprehendi; ſicut etiam aliàs *Ros miner. Aq. Reg. Hungar. Spir. theriacal. camphor.* & ejuſmodi plura, in ſuperioribus contra Inflammationem & Gangrænam commendata. *Reſolventia.* Quod ſecundam attinet, ei ſatisfacere deprehendimus *Emollientia* & *Peptica*, ſub forma *Cataplaſmatis*, diligenter applicata, qualia etiam ſuperius circa Vulnerum ſuppurationem expoſita fuerunt. *Maturantia.* Tandem Gangrænæ & Sphacelo ſuccurritur, quemadmodum ſuo etiam loco edoctum eſt. *Extirpatio.*

Fractura idea. XLV. Quando partes corporis duræ, ſive oſſeæ, à cauſis quibuſcunque externis violenter incidentibus, diſrumpuntur, ea ſolutionis ſpecies *Fracturæ* nomine apud medicos inſignitur, à vulnere proin nonniſi ſubjecto & nomenclaturâ diſcrepans. *Cauſæ.* Ejus Cauſæ occurrunt promiſcuè, contundentes, ſecantes, pungentes, diſtorquentes, terebrantes, &c. nunc ſuo motu & impetu corpori hominis involando,

lando, nunc reſiſtentiâ ſaltem validâ eidem in adverſum nitenti ſe opponendo. Eſt autem alia *Fractura ſimplex*, in qua unum os citra inſignem aliam læſionem diſrumpitur, alia verò *complicata*, cùm vel plura oſſa dividuntur, vel ſaltem gravis Contuſio, Vulnus, Luxatio, &c. ſimul aſſociata exiſtit. Deinde reſpectu figuræ externæ exurgunt variæ differentiæ, ſuis quæque titulis donatæ: (1) Κάταγμα καυληδὸν, *Fractura tranſverſalis*, ex cucumerum & caulium diffractorum ſimilitudine appellationem adepta. (2) Κάταγμα σχιδακηδὸν, *Fractura aſſeralis*, *Fiſſura*, *Rima*, cùm os aliquod ſecundum longitudinem finditur, ita tamen, ut partes læſi oſſis non in totum disjungantur. (3) Κάταγμα καλαμιδὸν, *Fractura lunaria*, vel *iſonica*, ſicubi os quoddam hinc ad lineam rectam, illinc verò ad lunæ dimidiatæ, vel unguis formam dehiſcit. (4) Κάταγμα ἀλφιτηδὸν l. καρυιδὸν, l. etiam Σύντριμμα, *Fractura conterens*, *Comminutio*, *Contritio*, quando vid. os in plurima fragmenta confringitur. (5) Κάταγμα κατ᾽ ἀπόθραυσιν, καὶ κατ᾽ ἀπόκοπην, quando portio quædam Oſſis per confractionem in rupturæ ſummitate à toto plane eſt ſeparata, & ablata, ita ut alteri ſuperincumbat. Cùm autem peculiares *Cranii fracturarum ſpecies* obſervare liceret, diverſa ipſis ab *Hippocr. L. de Vulneribus* & *Galeno L. 6. Meth. med. Cap. ult.* impoſita nomina huc adducere placet. *Prima* earum appellatur Ῥωγμὴ, *Fiſſura*, quando fracti Oſſis partes diviſæ & fiſſæ figuram & ſitum ſervant naturalem, manente continuitate in extremis utriſque: quæ ſi anguſta valdè, & obſcura eſt, neque ad viſum, neque ad tactum apparens, tum verò Græcis vocatur Τριχισμὸς, ἢ Τριχίασις, lat. *Capillatio*; periculoſa certè exiſtens, & plerumque lethalis, præſertim ſi in parte oppoſita contigerit, ubi Chirurgus affectum locum ignorans debita illi remedia applicare nequit, hinc ſanies, pus, ſanguis, relicta putreſcit, & per rimam ad Meninges & Cerebrum deſcendens funeſta ſymptomata producit; cum quæ lata evidens & manifeſta fuerit, minoris diſcriminis eſſe ſoleat. Deindè hujuſmodi Fiſſura alia obſervatur eſſe *ſuperficiaria* tantùm, ſç. ſuperiorem duntaxat Cranii laminam

Differentiæ.

Species peculiares fracturarum Cranii. (1)

penetrans: alia *profunda*, utraſque Cranii tabulas pervadendo ipſam duram matrem contingens; alia longa, alia parva, recta l. obliqua, tranſverſa l. flexuoſa. (2) Secunda ἕδρα *græc. Sedes lat.* nuncupatur, in qua inſtrumenti cujuſcunque lædentis veſtigium remanet atque apparet, & hæc ſpecies iterum diverſa obſervatur, prout vulnerantis corporis magnitudo & figura tulerit. (3) *Tertia* Ἐκκοπὴ, *Exciſio* vocata, eſt Calvariæ diviſio, quâ per infractionem pars oſſis ſurſum elevata, necdum verò penitus ablata eſt. (4) *Quarta* ἀποσκεπαρνισμὸς *Dedolatio* ſive *Aſciatio* vocatur, quando ſc. fruſtum aliquod Cranii à reliquo direptum atque omnino ſeparatum eſt. Quæ quidem à præcedenti non aliter differt quàm καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον. (5) *Quinta* Ἐγγείσωμα, *Suggrundatio*, eſt calvariæ ad interiora depreſſio, ſive Fractura, in qua Os ita dividitur, ut læſa pars naturali loco dimoveatur, atque ad ſubjectam Meningem plus minus graviter deſideat. In medio pars Cranii eſt depreſſa ad Meninges, circumcirca verò ejus oræ fractæ & elevatæ ſunt, ut foris cavum videatur, inſtar ſuggrundarum tecti alicujus prominentium, quibus ſtillicidia à parietibus arcentur. (6) *Sextum* Καμάρωσιν ſive Καμάρωμα, *Concamerationem* ſ. Teſtudinationem vocant, in qua Oſſis media pars in Teſtudinis & Cameræ formam ſuſpenſa relinquitur, extrema verò oſſis fracti intùs ad Meninges allidunt, haſque comprimendo, ingentes moleſtias producunt, media interim inferiore parte nihilominùs à Meninge in altum ſublata. Hanc ſpeciem *Galen. Loc. cit.* vehementiſſimam nominat fracturam. (7) *Septima* eſt Ἀπήχημα, *Contrafiſſura*, in qua, non quæ ictum excepit pars, ſed quæ ipſi eſt oppoſita, finditur, hoc autem fit vel in eodem oſſe, idque duobus modis vel lateraliter, cùm v. gr. Oſſis frontis dextrâ parte ictâ, ſiniſtra finditur: vel ſupernè deorſum, cum non prima, quæ ictum paſſa, ſed ſecunda lamina continui ſolutionem patitur: vel in diverſis oſſibus, cùm quis fortè ſuturis careat, vel eaſdem valdè compreſſas & conſtrictas habeat, vel ſecus quàm decet diſpoſitas, ita ut icto Bregmate dextro, rumpatur ſiniſtrum, & vice verſâ, vel

ſâ, vel

ſâ, vel ab antica parte in poſticam, & contra, ut cùm icta fronte occiput dehiſcit. *Octava* Ἐκπίεσματος, Effracturæ nomine venit, in hac Os ictum in multa veluti fragmenta, ſchidia atque feſtucas dividitur, quæ ſudjectam Meningem urgent. Aliquando ejuſmodi ſchidia ſ. fragmenta Cranii prorſùs ſunt Meningibus infixa, aut ſaltem illas fortius premunt, pungunt, vellicant, ex quo cruciatus atroces, Inflammatio, Febris, Deliria, Convulſiones aliaque mala graviſſima naſcuntur. *Nona* atque *ultima* Fracturæ Cranii ſpecies Θλάσις apud eruditos audiens, nihil eſt aliud, quàm Cranii ad interna compulſio ac veluti inflexio, concavitatem ſolùm, citra continui ſolutionem exhibens, Gallis appellata *un Enfoncement du Cerveau*. Et quidem Cranium vel per utramque tabulam contunditur, vel exterior tantùm compellitur arctiùs ad inferiorem. (8) (9)

Diagnoſis. Quantum ad Diagnoſin, ut multùm circa hanc ſolliciti ſimus, adeò neceſſarium mihi non videtur, cùm major Fracturarum numerus, facili negotio & ipſo tactûs ſenſu cognoſcatur; etenim tactô membrô in una parte cavitas, in altera intumeſcentia percipitur, fractum membrum ſi paululùm commoveatur, ſtrepitu vel fragore quodam ſeſe prodit, procul dubio ex Oſſium tanquam duriſſimarum in Corpore partium mutuâ affrictione proveniente. Adeſt impotentia in parte læſa ſeſe fulciendi, deſtruitur hâc ratione munus ſuſtinendi muſculos & motus eorundem naturalis atque voluntarius; ſequitur muſculorum contractio, hinc pars brevior redditur. Muſculi ex debito aliquando loco deturbantur, hinc Membri intorſio atque deformatio cum maximo & acuto lancinante interdum dolore conjuncta, imprimis ſi Spinæ fracti Oſſis continuè membranas ſuperjacentes pungant, hinc Inflammationes, Convulſiones, Gangræna, mors partis & aliquando totius. Sunt & alia præcipuè de ſpeciebus fracturarum ſigna & peculiares circumſtantiæ, mentis potius acumine eruendæ, ac ex longo rerum uſu, quàm literati inſtitutione. Etiamſi autem ſigna contrafiſſurarum in profundo lateant plerunque demerſa puteo, ni-

hilominus tamen conjiciuntur ſubeſſe, dolor profundus diù admodùm in loco affecto torqueat, membrum in motu nonnihil impediat, ac denique tumida aliquantùm & mollis pars ſit in loco fiſſuræ citra inflammationem, aut alia cæteris Fracturis accidentia familiaria.

Prognoſis. Ex annotatis Fracturarum differentiis facile eſt Prognoſin inſtituere. Fracturæ Cranii & Vertebrarum periculoſiores ſunt, quàm aliarum partium. Minùs difficiles, quæ in medio Oſſis alicujus contigerunt, quàm quæ propè ejus caput aut in l. propè articulum. Minùs quoque diſcriminis aſunt, quæ ſunt recentes, ſimplices, quàm quæ inveteratæ, compoſitæ & multa gravia ſymptomata conjuncta habent; vel in quibus multæ ſunt prominentiæ acutæ, ſic quoque ratione modi aliæ aliis ſunt periculoſiores: tranſverſæ facilioris ſunt curationis, quàm quæ contuſim cum oſſis contritione ſunt factæ, & ſic deinceps. Denique ſi Æger adhuc ſit juvenis, vel aliàs laudabili humorum circulantium diſpoſitione gaudeat, majorem nobis atque citiorem promittit ſalutis recuperandæ ſpem, quàm ſi malignâ quâdam humorum intemperie & cacochymiâ laboraverit.

Curatio. Supereſt Curatio Fracturarum, differenda minimè, cùm periculum ſit, ne per accedentia illicò Symptomata illa difficilior reddatur. Itaque ad hanc citò & feliciter obtinen-
(1) dam quatuor præprimis attendimus ſcopos. (1) Ut, ſicubi ſpina una vel altera prorſus, ab Oſſe ſeparata ſit, eadem per vulnus extrahatur, vel etiam ſi adhuc cohærens ita promineat, ut reſtitui haud poſſit, forſice vel forcipe pars ejus maximè prominens auferatur, quo reliquum dein os introrſum
(2) retrudi commodius queat. (2) Ut partes confractæ per convenientem encheireſin extendantur, quò in naturalem citiſſimè ſitum poſtliminiò reponantur atque coaptentur,
(3) quæ operatio priorem preſſo pede ſuccedit & à Græcis (3) Διόρθωσις, lat. *conformatio* ſive *coaptatio* vocatur, quâ Chirurgus utraque manu comprehenſum membrum ſtudet ad priſtinam figuram reducere, impellendo illud hinc indè, ante retrò, & ad latera, donec extantes particulæ in ſuas cavita-

tes

tes & priſtinas ſedes fuerint reductæ, quod ex Doloris ceſſatione, Oſſis fracti in ſuperficie æqualitate & comparatione cum ſano membro factâ eluceſcit. (4) Scopus eſt, ut repoſitum membrum in debito ſitu conſervetur, Callus promoveatur, dum ad priſtinum vigorem redierit membrum. (5) Ut ſymptomatibus, quâ præſentibus, quâ ſequuturis convenienter obviam eatur. (4) (5)

Methodus curandi Fracturas Tibiæ qualem in Caſtris helveticis obſervavimus.

Sequens Methodus Fracturas Tibiæ vel Brachii ſive ſimplices ſive complicatas curandi à nobis ſemper feliciſſima deprehenſa fuit. Primò omnium circa extenſionem membri eramus occupati, ut Tibiam v. gr. fractam alter miniſtrorum dexteritate & robore pollens ſupra fracturam & circa genu comprehenderet, utrumque pollicem ipſi Tibiæ imponendo, alter interim pes dexter ſi affectus fuerit, ejus alteri extremitati propè malleolos manum ſiniſtram primò ſupponeret, dextram dein Tibiæ applicaret, ipſum pollicem alterius miniſtri pollici jungendo, adeo ut in ipſa extenſione pars ita tractaretur, ut linea ſemper recta & tractus muſculorum obſervaretur; parallela ratione procedendo, ſi pes ſiniſter laboraverit. Operatio hæc etiam vel ab unico Chirurgo optimè tentari in caſu neceſſitatis poteſt.

Notandum tamen, ubi Oſſa parùm divergunt in latera, quod ſufficiat mitior extenſio, ſolis manibus unius vel plurium Chirurgorum perficienda: Quod ſi verò una oſſis pars alteri omninò ſuperponatur, hincque muſculorum fibræ oſſis robore deſtitutæ ſequantur naturalem ſuam determinationem & in ſeſe contrahantur & decurtentur, requiritur fortior & tanta quidem earundem ſimul cum oſſe fracto elongatio, quantum à naturali longitudine receſſerunt. Extenſio autem hæc nunc perficitur habenis ſive faſciis congruè alligatis, quæ ſc. mediocri inſerviunt extenſioni, nunc, ſi validiore opus ſit, Organis ſive Machinamentis: v. gr. Trochleâ fune inſtructâ &c. de quibus *Hippocr. L. de fract.* & *Scultet.* in ſuo Arm. Cautelas autem ſequentes circa extenſionem oſſium fractorum obſervare convenit:

Cautelæ circa extenſionem Oſſis fracti obſervandæ.

(a) nit: (*a*) Ut oſſa grandia & muſculi fortes & magni, qui membrum robuſtiſſimè trahunt, verſus ſuum principium validiſſimè extendantur: qualia ſunt Femur, Tibia, Humerus, Cubitus, item quæ in ſumma manu aut ſummo pede ſunt: præterea ſi utraque oſſa fracta ſunt: v. gr. Tibia & Perona, Radius & Cubitus. Et aſteriſco notandum, quod hæc extenſio vel debeat eſſe æqualis vel inæqualis, in illa ab utroque latere oſſis fracti æqualiter extenditur membrum; in hâc ab uno tantùm latere magis extenditur, quæ poſterior locum habet, ubi alterutrum Tibiæ aut Cubiti os fractum eſt, illud enim latus magis eſt extendendum, in quo os fractum continetur, aliàs alterum os ab ejuſmodi extenſione facilè in ſua articulatione deturbari, & dolor intenſus, in-
(b) flammatio &c. exoriri poſſet. (*b*) Ut debita conſervetur figuratio, id eſt, ut Membrum extendatur in ea figura, in quâ extenſio fiat cum dolore vel nullo vel minimo, quæ contingit, ſi membrum extendendum eâ locetur figurâ, in quâ muſculi non agunt, ſed otioſi & omnes laxati ſunt, ut omnes muſculorum ipſius fibræ directè extendi poſſint, quô modô & minore extenſione opus eſt, & minore cum dolore opus
(c) perficitur. (*c*) Quòd Puerorum, utpote qui mollis corporis ſunt habitûs, oſſa validiorem tolerent extenſionem, quàm
(d) adultorum, qui durioris. (*d*) Quòd fracturæ quoque obſervetur tempus, ſi enim Chirurgus primo die adveniat validiùs extendere poteſt: at ſi poſt aliquot dies advenerit, aut non debet extendere, aut mitiùs, propter humores in motu ſuo circulatorio impeditos & metum inflammationis, de quâ præſente Chirurgus magis ſit ſollicitus, quàm de oſſium reductione. Tibiâ autem ſic debitè & ſatis extenſâ, Membrum ultrò citròque modificare & impellere conſuevimus, donec illud in priſtinum rectitudinis formam, ſeu naturalem ſitum repoſitum videretur; poſtmodùm Capſulæ ex Charta confectæ, & linteis teneris circumductæ Tibia imponebatur, ibi quietem habitura convenientem. Aſſulis præterea Chartaceis ſupponebamus faſciam ex linteis ſat fortibus ita confectam, ut conſtringi & relaxari, imò aperiri commodiſ-

ſimè

ſimè poſſet, relictâ interim Tibiâ fractâ in ſua ſede; quod genus faſciarum à Gallis, *Bandage à dix huit Chef* nominari ſolet: ſic enim quotidie membrum à Chirurgo inſpici poterat, num forte Inflammatio, Gangræna imineret, aut à commotione Ægri intempeſtivâ membrum è ſitu ſuo fuerit elapſum. Parti verò læſæ, priuſquàm ejuſmodi faſcias cruciatim injiceremus, lintea duplicata *Spiritu Vini camph.* cum *Myrrh. Aloë, Sal. ammon. & Aqua Calcis vivæ*, interdum & Spiritu Lumbricor. terreſtr. imbuta applicabamus, miſſis omninò Emplaſtris, quæ tranſpirationem inſenſibilem cohibendo, ad Inflammationem atque Gangrænam ſæpius iter parant. In ipſo deligandi modo hoc ſemper ſtudio nobis fuit, ne illa nimis laxa eſſet, quia non conſervet os fractum in ſuo naturali ſitu, neque ſtrictior juſto, præſertim ubi callus protuberaret, ac corpus tenerius fuiſſet, probè animô reputantes facilè dolorem, inflammationem imò & atrophiam accerſere poſſe, aliaque adhuc graviora ſymptomata. Tandem coronidis loco adhibebamus Machinam aliquam ex ſtramento & largo fortique linteo confectam, Germ. Strauladen dictam, Gall. *les Fanons*, (ad firmandum in ſitu convenienti pedem amplius,) quæ non ſolùm ſupra & infra fracturam ſanas quoque membri partes involveret, ſed & ipſos ſimul articulos ſuperaret, quo ſic membrum in juncturis per pavores tempore ſomni contingentes flecti nequiret; quoniam ab ejuſmodi flexione facilè partes oſſis fracti repoſitæ & coaptatæ iterùm elaberentur, atque hinc vel tardiorem ſanationem, vel certè informem callum producerent. Huic Machinæ verò ſupponebamus tria ſatis fortia filamenta (Bendelſchnür) quibus hanc machinam æquè ac cœteras faſcias pro lubitu undique adſtringere liceret, admiſſis hinc indè compreſſis, ſi res ita poſtulaverit. Circa faſciarum religationem notandum venit, quod quamvis pluribus Chirurgis religio eſſet, illas ante diem octavum vel decimum ſolvere; nihilominus illas ſæpè die 2do, 3tio ſolvebamus, jubente hoc ipſum *Divino Hippocr. de Fract.* tùm, quia intra duodecim etiam horas ſæpius Inflammatio & ipſa Gan-

Rejiciuntur in Curatione Fracturarum Emplaſtra catagmatica.

Gangræna partem affectam infeſtare poteſt, tùm quia faſciæ mox relaxari incipiunt & nova ſubindè adſtrictione opus habent. Hanc verò methodum nunquam habuimus, ut ſc. ſi Femur in ſuperiore ſui parte eſſet fractum, genu Emplaſtro obduceremus & cum Veterum longis ſat quidem faſciis, ſed ſatis quoque inconvenientibus atque moleſtis deligaremus, cujuſmodi curioſum imo verè curioſum accidens contigiſſe recordor non ſolùm hic Baſileæ, ſed & apud nos: Vocatus enim aliquandò ad ægrotantem ejuſmodi, & accedens cum *Dn. Kupferſchmidio, Viro Experientiſſ.* atque ſimul *Operatore dexterrimo, Cognato meo honoratiſſimo,* riſum vix poteram tenere, cùm animadverterem Femur ſuperiora verſus fractum, genu interim à Chirurgo quodam non vocato (puto Barbitonſore optimo) Emplaſtro glutinante, quod pro ſingulare adhuc arcanum venditaret, obductum, & longis admodùm faſciis fortiter circumvolutum pede inferius filamentis firmato, eum, meo ſaltem judicio, in finem, ne ipſe è lecto ſurgere & obambulare poſſet. En hiſtoriolam verè curioſam hujus Chirurgorum Simiæ, & optimi Ignorantiæ Fratris.

Nova & curioſa imò verè curioſa Methodus curandi fracturas Femoris.

Obſervatio verè curioſa.

Ad Pruritum ſive Mordicationis ſenſum, qui Membris fractis eſt familiaris, conducit ablutio ejus cum *Aqua calida* vel *muriatica*, vel *Urinâ*, vel *decocto Plantarum nervinarum* & *vulnerariarum* cum vino: vel totus ſimul tractus ligari ſolitus *Oleo roſaceo Lil. alb. Hyper. Chamom.* imprimis ſi puſtulæ effloruerint in parte, Unguento alb. camph. l. Tinct. Myrrh. & Aloës cum Spir. Vini camph. extractâ illinatur.

Pruritûs ſive mordificationis medela.

Ad Calli promotionem inſerviunt internè *Vulneraria* in univerſum omnia, ſub qualicunque demùm formâ uſurpata, *Decoctorum, Pulverum, Pilularum, Eſſentiarum,* &c. cujuſmodi ſufficientia in ſuperioribus circa Vulnerum curationem deſcripſimus; externè autem laxior membri deligatio, frequens ejuſdem fomentatio cum *Liquoribus ſpirituoſis* & *aromaticis*, & quæcunque circulationi humorum adjumento eſſe poſſunt. Qui ſpecifica hinc indè ad calli generationem requirunt vel deprædicant, ſicut *Helmontius, Tackenius, Hildanus,*

Nulla dantur Specifica Callum generantia.

danus, &c. næ illi vano luſiſſe ſtudio videntur, ſubindè Oſteocollæ attribuentes, quod ſoli naturæ, ejuſque mechanicis inſtrumentis competere ſolet. Si Callus luxuriare deprehendatur, membro deformem cauſaturus faciem, tunc moderandum venit ejus augmentum *arctiori Ligaturâ*, *Diætâ tenui*, *Sudoriferis*, *Diureticis crebris*, *Laxantibus* non raro, ut & pro rei conditione per *Venæſectionem*.

Quod verò cœtera Fracturis interdum ſuccedentia Symptomata, ut & Diætam Fractis obſervandam attinet, de iis ſufficienter conſtabit ex ſuperioribus, ubi de Vulneribus in genere fuimus occupati.

Si cum qualicunque Fracturâ ſimul contigit *Dislocatio*, tunc caput Oſſis in locum naturalem eſt reponendum, antequam Fracturæ cura ſuſcipi poſſit. *Fractura cum luxatione.*

Si in Fracturis per contuſionem validiorem factis, Nervi, Ligamenta, Tendines &c. plurimùm ſint conquaſſati, & contorti, tunc habemus commendata: *Olea Hyper. Lumbr. Terreſtr.* acuata *Oleo deſtill. Terebinth. Roriſmarini*, vel *Mel* cum *Spiritu Vini* probè temperatum, quibus ſcil. illitis poſtea *Emplaſtrum ex Tacamahaca* cum *Oleo deſtillato Roriſmarini* malaxatum, vel *Ceratum* Foreſti applicatur. *Cum contuſione.* Si in contritione Oſſis feſtucæ ſ. ſpinæ adhuc cohærentes vel penitus ſeparatæ, muſculos circumjacentes & in his ſparſas Vaſorum congeries continuè pungant, tunc locus ſtatim inciſione eſt aperiendus, atque feſtucæ ſeparatæ debitis inſtrumentis extrahendæ, quod tantò feliciùs fit, ſi per vulnus factum eminuerint. *Cum Contritione.* Niſi verò auferas protinus Inflammatio, Gangræna, Convulſiones aliaque mala ſubſequentur periculoſiſſima: cujuſmodi exemplum contigiſſe apud nos recordor, ubi Chirurgus ſingulare non quidem peritiæ ſed aſtutiæ argumentum dando, deſerebat ſuum patientem, qui poſteà ſub cura Empirici cujuſdam (des Steinbillen-Peters/ eines zimlich artlichen und ſchwäzhafften Betriegers) neſcio quibus horrendis cruciatibus miſerè mortuus eſt. *Exemplum huc ſpectans & ſingulare Chirurgi Aſtutiæ Specimen.* Quæ verò ſpinæ adhuc cohærent, neque punctionis ſenſu moleſtæ ſunt, eæ debitâ membri extenſione & coaptatione ſi quidem

 poſſi-

poſſibile, ſuo reſtituuntur loco, & ligaturis convenientibus ita retinentur.

Cautela in coaptatis oſſibus obſervanda.

Hæc tamen cautela obſervanda venit, ne ejuſmodi Patientes, antequam callus perfectè formatus ſit, & cum repoſitis ſpinis induruerit, citò nimis parti læſæ inſiſtant, ne vel os iterùm rumpatur, vel ſpinæ nondum ſatis adhærentes ſeſe extravertendo & ſuperjacentes partes pungendo, Inflammationes, Convulſiones, Abſceſſus, Ulcera, Fiſtulas, producant; vel ad minimum pars læſa informis & curva reddatur. Cujus memorabile exemplum habuimus in Noſodochio Lenzburgenſi: Aliquis Miles ex Regione Bernatum Gallica erat à globo 5. libr. Torment. bellici in femore vulneratus cum contritione Oſſis in quamplurima fragmenta, cui poſtquam plurima fruſta exempta eſſent, reliqua autem adhuc cohærentia adaptata, & lege artis Membrum optimè repoſitum, eoque modo per duodecim hebdomadas cum ſpe optimi ſucceſſus æger tractatus, tum demùm ille impatiens lecti, ſe ſatis ſanatum credens, utpotè nihil mali perſentiens, inſciis nobis ſurrexit atque obambulavit mediantibus furculis alaribus. Sed ecce! cum fortiùs aliquando pedi inſiſteret, ilicò maximùm ſentiebat dolorem pungentem, ut lecto perlibenter ac ultrò iterum ſe accommodaret; Nos verò accerſiti invenimus noſtrum Patientem non ſine perturbatione maxima, Membri Dolore, Inflammatione, etiam curvatura notabili non ſine convulſionibus affectum. Quibus accidentibus cùm l. a. proviſum eſſet, Inflammatio in Abſceſſum properabat, atque maturantia applicata medicamenta ipſum ad apertionem per cultellum inciſorium perficiendam promovebant: unde poſt factum Ulcus & exemptionem quarundam feſtucarum feliciter iterùm ſanatus fuit. Quod ipſum Exemplum nobis clarè manifeſtat, quòd non ſemper adeò tutum ſit, ejuſmodi etiamſi adhuc cohærentes feſtucas in parte læſa coaptare: vel ad minimum hæc cautela inde fluit obſervanda, quod ejuſmodi patientes in lecto tenendi ſint non ſolùm ad Calli formationem, ſed & ad perfectam ejus duritiem. Circa contritionem

Obſervatio alia.

nem Oſſium per ſclopetarios globulos porrò id obſervare in diverſis ſubjectis mihi licuit, quod *Celeb.* atque *Experientiſſ. Hoſpes meus* teſtatur in *Theatr. Prax.* quòd ſc. ejuſmodi Vulnera non ſolùm facile Abſceſſus, ſed & Ulcera ad plures annos manantia poſt ſe trahant, donec omnia contriti oſſis fruſtula fuerint eliminata. Tractavimus iterum ex Ditione Bernatum Gallica vulneratum quendam, cui Globus ſclopetarius per Radium, Articulationem Cubiti, & Humerum ipſum trajectus fuerat, qui etiam poſt octo Abſceſſuum apertiones nihilominus non ita poterat ſanari, quin Ulcus continuè in ipſo Cubito ſupereſſet. Alius ex Ditione Bernatum germanicâ (von Bollingen) per ſclopetarium globum leviter, ut videbatur, vulneratus erat in Cubiti flexura, cum contritione apophyſeos cubiti (ab Hippocrate *Olecranon* vocatæ) & proceſſûs interni majoris Humeri, qui omni cum diligentia & ſecundum artis leges tractatus per longum tempus non poterat ſanari, cùm hinc inde Abſceſſus orirentur, qui ſucceſſive aperti, tanquam nova Vulnera ulterius curandi ſupererant; imò ex ipſa Cubiti flexura ſeroſo ſalſa quædam materia effluebat ſemper, uſque dum ad *Balneum Schinzenacenſe* ablegaretur, unde aliquot menſium ſpatiô in integrum reſtitutus fuit. Hoc verò de cœtero obſervatu erat, quod, cum de Apophyſi, *Olecranon* dictâ, magna pars ablata fuiſſet, ipſe Vulneratus hoc ipſum brachium plus poſſet extrorſum curvare, quam alterum ex parte oppoſitâ.

Alia Obſervatio.

Alia notabilis.

Quandò Fractura eſt cum Vulnere conjuncta, curatio itidem diutius protrahitur, ob diverſa vulnus ſubſequentia ſymptomata & incommodiorem deligationem, quibus omnibus verò eſt medendum, ſicut in ſuperioribus de Vulnere & ejus accidentibus eſt edoctum. Vulnus omni cum ἀκριβείᾳ ab aëris præcipuè frigidi, humidi aut maligni acceſſu eſt præcavendum, neque ſtylorum exploratoriorum ope atque immiſſione frequenti, ut quorundam eſt prava conſuetudo, eſt exaſperandum. Exemplo iterum ſit ex copiis Bernatum germanicis, Præfectus aliquis vigilum, qui cùm exſpatiare vellet per Caſtra

cum Vulnere.

Obſervatio huc ſpectans.

ſtra circa Villmergen, fortè à globo ſclopetario exploſo ex improviſò in pede ſiniſtrô cum Tibiæ & Peronæ fracturâ in minutiſſima fragmenta vulneratus fuit, ita tamen ut poſt ſedatam ferè incoërcibilem hæmorrhagiam, diligenter fomentis ſpirituoſis tractatus, non parvam de ſui reſtitutione ſpem faceret; ſiquidem & omnia fragmenta exempta eſſent; At quid fit? nihilominus poſt diem decimum quintum ſubitò Convulſionibus tentatur, & per incoërcibilem hæmorrhagiam, proculdubio à ſpina oſſis fracti aliqua productam moritur. Alius ex Dimachis Gallorum Militibus propè pontem Seiſen per globulum ſclopetarium cum tibiæ & peronæ fracturâ læderetur, hinc reportatus in Zenodochium Lentzburgenſe atque à ſæpiùs laudato Chirurgo deligatus, per aliquot proin hebdomadas omni cum diligentiâ tractaretur, ita ut ſibimet ipſi optimè ſe habere videretur: ſed, cùm aliquandò pedem in lecto flectere tentabat, hinc ſubitò Convulſionibus proculdubiò ab oſſis aliquâ ſpina in nervum hâc irrequietiore comotione adactâ provenientibus, afficeretur, jectigando per aliquot horas artus hinc indè, inprimiſque membrum læſum; qui tandem ad ſe iterùm rediens, maxiximas de vulnerati membri dolore, atque totius laſſitudine querelas ferens: nihilominus poſt cibos atque potus per aliquot abhinc dies aſſumens, optimè ſe habere profitebatur, tandemque in integrum reſtitutus fuit.

Alia.

Hiſce in genere annotatis deveniamus ad particularium cujuſvis ſpeciei Fracturarum curam, & primò quidem Cranii, quæ læſionum ſpecies vel ideò majorem merentur attentionem, & majori quoque inſtrumentorum apparatu ſunt tractandæ, cum ſint omnium periculoſiſſimæ & funeſtis ſæpe ſymptomatibus ſtipatæ. Harum verò ſingularum deligationes, tum ex iis quæ in genere de fracturis obſervanda commendavimus, ad ſpecies earum quaſvis applicari poterunt, tum ex ipſâ Autopſiâ perfectiùs addiſci debent.

Fiſſuræ Cranii cura ſpecialis.

(1) Fiſſura ſi appareat non ampla quidem ſatis, Capillaris apud eruditos audiens, quæ deſumitur à ſymptomatibus, cauſis lædentibus, & ipſis ſenſibus, tùm maximo æger

verſatur

verſatur in periculo, cum per eam, liberè ea, quæ intùs forſan latent, expurgari non poſſint, hinc ſecundum Veteres & quoſdam etiamnum Neotericos variis radulis triangularibus, ovalibus, rotundis aliiſque apud *Paræum Lib. IX. Cap.* 4. occurrentibus, rima talis Cranii radi ſolet, quo uſque opus videatur. Verùm quoniam ordinariè ferè Sanguis extravaſatus Duræ matri incumbit, qui tamen, licet fiſſura ejuſmodi radulis tractetur, educi non poteſt, & quia certi eſſe non poſſumus, an rima utramque laminam penetret, etiamſi radendo uſque ad ſecundam laminam perveniamns (ſanguis enim ex diploë erumpens impedit ſemper, quo minus fiſſuras hujuſmodi capillares dignoſcere queamus) hinc pauci hodienum ſunt Chirurgorum, qui iis utantur, & Experientiâ quoque teſte præſtat hiſce in caſibus cum recentioribus Gallis & noſtro ſæpiùs *laudato Mathyſio Trepanum applicare*, antequam majora ſuperveniant Symptomata, quoniam hujus ope non ſolùm ſæpiùs fiſſura tollitur, ſed etiam ſanguine, pure, ſub cranio collecto, educto, duræ matris inflammatio, aliaque graviora tolluntur accidentia. Neque audiendi ſunt trepidantes illi, qui jubent, ut non ſtatim ad Trepani applicationem in hujuſmodi levioribus Cranii læſionibus progreſſus fiat, ſed exſpectandum eſſe, donec graviora momenta ejus uſum poſtulent. Quod ſi enim ab initio ſileant Symptomata, ſubitò poſtea ingraveſcant, ægrumque interficiant, nonne culpa & rectè quidem in Chirurgum cunctantem rejicitur: tunc potius trepidare deberent, tantæ ſi id eſſet efficaciæ, ut ægrum ſuâ negligentiâ, ne dicam ignorantiâ interfectum ad vitam revocare poſſent, ſed nimis tunc eſt tardum, quâ de re potiſſimùm teſtantur reſponſa medica. Non enim ſufficit excuſatio Chirurgi ſe hoc vel illud feciſſe, requiritur enim ulterius, ut omnia, quæ artis ſunt, & quidem juſto tempore, debitoque modo agat. Neque experientiæ correſpondet, quod in noſtris regionibus, quæ hactenus ferè hoc remedio caruere, minùs ejuſmodi Trepanatio felici cum ſucceſſu ſecundum quorundam pura, puta & nuda ratiocinia adminiſtrari poſſit, cum nos con-

trarium experti ſimus. Ineptè identidem clamant quidam ignorantes, vel puerili metu ſaltem perciti, nimis audacter hodiernos Chirurgos hoc periculi pleno (ut putant) remedii genere, plures ægrotantes Charontis Cymbæ immittere, dum levicula de cauſa ſtatim ex. gr. in *Contuſionibus Cranii* ad hanc operationem, ceu ad ſacrarium confugiant: è contrario nil niſi ſua remedia reſolventia, attenuantia atque naturalem fluiditatem redigentia pro Sanguine intus ſtagnante educendo crepantes, utpotè quæ efficere dicunt, ut potior ſanguinis reſoluti pars per venas iterùm abſorbeatur, reliquis, quæ ſuperſunt, particulis per poros tum ſuturarum ſatis patulos, tùm ipſius etiam cranii avolantibus. Id verò perpulchrè & lepidè concipere poſſunt & dicunt, ſicuti mos ſolet eſſe horum, qui ſermonis ſuavitate & verborum copiâ, quamvis rerum adſit inopia, ſuos patientes ſanare ſatagunt, & ſæpiſſimè, in ſuis Cerebris ingenioſis, an dicam verminoſis jam ſanatos habent, credentes utique nulla interim ſubſequutura gravia, atque, uti familiare eſt, lethalia Symptomata, dum ejuſmodi medicamenta ægro propinantur; conceſſô, quod alioqui per longum ſat tempus adhibita effectum ſalutarem habere poſſint. Cùm intereà per ſolidas ſatis rationes ex ipſius partis conditione deſumptas demonſtrare poſſemus, quod Sanguis taliter ſtagnans in capite non ita facile ſicut in aliis corporis partibus reſorberi poſſit, ſi quidem inſtituti ratio hoc nobis permitteret, & quamvis interdum exempla occurrant eorum, qui abſque modioli applicatione reſtituti fuerunt, hoc tamen minùs efficax eſt argumentum, quo quis nos ab Operatione hacce deſiſtere ſolidè jubere poſſit. Tutius ſemper autumamus eſſe, ſi Trepanum admovetur, imprimis ſi Symptomata latentis in herba anguis ſuſpicionem præbent: paucæ enim nonnunquam guttulæ ſanguinis ſub Cranio contentæ, mortis cauſa exiſtunt, quam tamen matura Trepani applicatio avertere potuiſſet. Operatio autem hæc cum modiolo nunquam ſupra ipſam fiſſuram inſtituatur, ſed in fiſſuræ parte inferiore, ita ut Trepanum ipſam fiſſuram ferè attingat: juxta Schul-

ta Schultzium *l. c. p.* 135. & *Dionis Cours d'Operations p.* 353. hoc enim modo Spinæ ſ. Feſtucæ (*les Eſquilles*) facillimè poſtea ſeparantur; ſi nimis longa eſt fiſſura bis vel ter pro circumſtantiarum ratione cranium perforanoum eſt. Si in utroque bregmate occurrunt, bis terebrandum, cujus elegans exemplum recenſet *Dionis p.* 350. item ſi fiſſura in Suturis occurrit, in utroque ſuturæ latere cranium trepano perforandum venit, cujus operationis modum ſub fine hujus Theſeos breviter expoſituri ſumus.

Ἕδρα, ſ. *Sedes*, ſi levior ſit, vel unicam tantùm penetret laminam, dum obliquè ſc. infligitur inſtrumentum lædens, ſine gravioribus Symptomatibus; difficilis adeò Curationis non eſt; ilicò autem ſedatâ hæmorrhagiâ exploretur, an fragmenta quædam ſ. feſtucæ adſint, quæ ante omnia removeantur, his enim relictis non ſolùm variis Symptomatibus anſa præbetur, ſed etiam Vulnus difficulter admodum curatur: quod ſi verò id prima vice non liceat, id ſequentibus diebus tentetur. Oſſium aſperitas inſtrumentis commodis eſt læviganda, omniſque inæqualitas curationem impediens tollenda, in curatione proin eodem procedatur modo, uti ſuperiùs edoctum fuit. Si verò in utraque lamina veſtigium inſtrumenti lædentis appareat, foramenque tam amplum non ſit, ut per id, quæ intus reconduntur, eximi poſſint, hinc Symptomatum graviorum ſit metus, tunc Trepanatio Chirurgorum iterum ſacra eſt anchora. Nam contingit interdum, inprimis cum in primâ deligatione ob continuum ſanguinis profluvium explorare haud liceat, ut fragmenta poſteà duram matrem pungentia non ſtatim appareant, aut ei incumbens Sanguis extravaſatus lateat, nec etiam Symptomata graviora duram matrem affici teſtentur, quæ tamen Chirurgo & Ægro nihil metuentibus mortem poſtliminiò inferunt: hinc quo dura mater defendatur linteolum mundum filo ad extractionem commodiorem deſtinato inſtructum, ſpirituoſoque liquore imbutum ei imponatur, ac proin eadem ac in priore curatio inſtituatur. Hanc tamen cautelam annectimus, ne citò nimis curationem perficere conemur, cùm poſt

Ἕδρας ſ. Sedis cura.

aliquot

aliquot hebdomadas ſæpè ſæpius adhuc fragmenta aut ſquamæ diſcedere obſerventur, quibus ſuperincreſcit caro ſpongioſa, non ſine accidentibus.

Ἐκκοπής, *Excifionis cura ſpecialis.*

Ἐκκοπὴ, *Præciſio* ſ. *Exciſio* peculiare quid ſibi vendicat, difficiliuſque curatur. Inprimis autem quæritur, quid agendum ſit? ſi fruſtum cum reliquo oſſe adhuc cohæret, aut ſi prorſùs ſeparatum eſt, cuti tamen atque pericranio adhuc adhærens, an ita reliquendum? aut an prorſus tollendum ſit? Priore in caſu ſi firmiter cum reliquo oſſe adhuc cohæret, omninò relinquendum eſſe os cenſemus, hâc tamen cum cautela, ſemperque eò potiſſimùm reſpiciendo, ut Puri exitus concedatur. In poſteriore autem caſu ſunt, qui *Paræum Lib.* 9. *Cap.* 7. ſequentes ſuadent, ut portio illa abſciſſa futuræ operum reliqua parte conjungatur, quo interveniente callo portioni ſanæ uniri queat. Verùm quanquam id Paræo feliciter in uno vel altero ceſſerit ægrotò, non tamen ſemper procedere experientia teſtatur, & non adeò tutum eſt Paræum ſequi, ideò cùm idem hic contingere poſſe, quod in ſuperius citato exemplo protulimus, eadem ratio ſuadeat; & ſæpè Chirurgus nihilominùs, ubi jam per longum tempus laboravit, ſeparatam abſcindere partem cogatur. Conſultius ergò eſt, ſeparatâ particulâ oſſeâ à cute & pericranio, integumenta Suturâ ſiccâ relicto tamen ſpatio pro puris effluxu contrahere & annectere inter ſe, aut quod optimum eſt, inprimis ubi ipſa dura mater conſpicitur, oſſiculum cum cute abſcindere, ſi enim Vulnus ad ſuppurationem tendit, pus intra cranium atque duram matrem ſe inſinuans gravia excitare poteſt Symptomata. Ubi verò prorſus abſciſſum fuerit oſſiculum cum cute, mala hæcce præcaveri poterunt. Si enim in *Trepani applicatione*, aut in *Apoſceparniſmo* pars Cranii ad duram matrem uſque abſumitur, & nihilominus curatio optimè procedit, quare portionem illam multum negotii atque periculi faceſſentem non abſcindere liceret? In omnibus enim operationibus Chirurgicis ad eas potiſſimum reſpiciendũ, quæ tutiores ſunt. An verò tutum ſit Paræum ſequi, quilibet facilè, qui æqua mente accidentia ſubſe-

ſubſequutura trutinabit, perſpiciet. Curatio ex ſupra jam dictis patet & inferius dicendis magis adhuc patebit.

Ἀποσκεπαρνισμοῦ, ſ. Dedolationis cura.

Quandò autem portio integra cranii à toto eſt ablata, quæ Species à Græcis ἀποσκεπαρνισμὸς, lat. *Dedolatio* vocatur, à priore non niſi καθ' ἧττον, καὶ μᾶλλον differens, tunc Trepanatione omiſſâ Vulnus ſicuti in ſuperioribus edoctum tractandum.

Ἐγγεισώματος, ſ. Suggrundationis cura.

Ubi verò Oſſis interiora verſus eſt receſſus, ut medium oſſis fracti ad meninges uſque ſit depreſſum, non tamen fractum, circumcirca proin oræ fractæ elevatæ & ſurſum vergentes, *faiſants le pontlevis*, ut foris cavum videatur inſtar ſuggrundarum tecti alicujus prominentium, quibus ſtillicidia à parietibus arcentur; tunc cum Sanguis extravaſatus Duræ Meningi moleſtus evadit, exitum verò nullum invenit, ſine Trepani applicatione Æger reſtitui haud poterit. Unde proin pro conditione fracturæ os depreſſum vel mediantibus emplaſtris, cucurbitulis vel machinâ illâ quam Galli *Perforatif*, lat. *Perforatorium* vocant, reſtituatur, illa ſc. in medio depreſſionis applicetur, atque eâ retractâ cranium depreſſum elevetur: Aut ſi manihus ſolis id effici nequit, aliud in uſum trahatur inſtrumentum, quod apud Gallos audit *Tirefond*, lat. verò *Terebra* triformis cui coaptetur *Triplois*, gall. *Elevatoire triploide:* cum enim hocce trochleâ inſtructum ſit, longè faciliùs & majore cum vi cranium elevari poterit depreſſum. Quorum figuras exactiſſimè atque uſus ulteriores expoſuit *Scult. Tab.* 3. & *Dionis p.* 347. *Tab.* 30. *I. K. L. M.* Si os hâc ratione ſuam priſtinam figuram & æquabilitatem recuperavit, ſi adhuc ſatis eſſet cohærens, relinquendum foret, ſi non, auferatur eodem momento ejuſmodi Elevatorio, in cujus applicatione quibus cautelis mercandum ſit, eleganter admonet *Schultz. p.* 163. vel ſi hæc curandi ratio non videtur ſuccedere exfoliationi os fractum permittitur, quæ ſolius naturæ eſt opus: Tutius ſemper æſtimamus eſſe, imprimis ubi gravia urgerent Symptomata Modioli applicationem, ponatur autem propè depreſſionem, quò factâ perforatione ope Elevatorii os de-

H preſſum

preſſum commodiùs faciliuſque attollere poſſimus. Vulnus proin relictum tractetur atque deligetur ſecundum vulgarem Vulnera curandi methodum uſque ad perfectam cicatrizationem.

Καμαρώσεος, *Teſtudinationis cura.*

In *Camaroſi* itidem juxta locum affectum Trepanum applicetur, tollendo proin os fractum & undique ſeparatum, vel adhuc & cohærens cum integumentis priſtinum in ſitum reſtituendo quàm exactiſſimè id quidem fieri poterit. Reliquum quod eſt vulnus poſt methodicè tractetur & ad ſui ſanationem promoveatur.

Ἀπηχήματος, *Contrafiſſura cura.*

Etiamſi quidam Modernorum præeunte *Paulo Ægineta* inprimis ex Gallis *Verduc.* Operat. de la Chirurgie p. 75. 76. & *Charriere* p. 200. conentur per rationes phyſicas & demonſtrativas contra *Hippocr. Celſ. Paræum* probare, contra fiſſuram, de qua nunc ſermo eſt, per neceſſitatem ex partis ſtructura deſumptam dari non poſſe, nunquamque exſtitiſſe, & vel ideò quidem quod Cranium pluribus compoſitum partibus per ſuturas diſtinctis longè aliter ſe habeat, quàm vas aliquod fictile, quod per vim quandam elaſticam aliquando frangitur in oppoſita ictûs parte, id quod adſcribunt, inæquali quanquàm exactiſſimæ particularum vas conſtituentium connexioni atque continuitati arctiſſimæ, quæ omnes ictui tali reſiſtunt, hinc ubi minor eſt unio & firmitudo, minorque adeò reſiſtentia in quadam vaſis parte, ibi vas findi dicunt, idem verò in Cranio ex diverſis compoſitô partibus contingere poſſe negant, hôc ipſô argumentô, quod hæ ipſæ Cranii ſuturæ, cedendo ictui impedimento ſint, quo minus ipſe ab uno oſſe exceptus ad alterum propagari queat, & ſi talis obſervetur, eam eſſe à verâ contuſione : dicendo : hominem ſc. percuſſum reddi ſtupidum & ſui minimè compotem ſæpius denuò in terram procidere, caputque lapidibus allidere, & exindè tandem cauſari contrafiſſuram ſic dictam falſò primo ictui adſcriptam : id quod facile ſatis in ſententiam illorum me inclinare faceret niſi ſolidiores & contrariæ quidem rationes & experientia ipſa, optima rerum Magiſtra, me inhiberent, hinc quanta ſuis videan-

videantur aſſertoribus hæc argumenta ponderoſa, tanta tamen non ſunt, ut rei hujus veritatem deſtruere poſſint: loquente enim experientiâ meritò cadat ratio: Contraria quidem argumenta non deeſſent, ſi brevitatis ſtudium hoc nobis permitteret, & ex ejuſmodi ſpeculationibus in curatione feliciores nos redderemur: Curioſos interim ablegatos volumus ad *Cl. Job. van Meckern* & *Cl. Muys.* Unicum tamen argumentum adducere placet: Ex. gr. Quis neſcit? quod in quàm plurimis ſubjectis Cranii ſuturæ ita obliterentur, ut vix aliquando intuenti etiam perſpicaciter appareant: Undè ſolidiſſimum illorum Argumentum jam cadit: Inſuper experientia ipſa contrarium ipſis demonſtrat pluribus atque ſatis claris exemplis, quorum duo luculenta rationantibus Gallis profert Gallus experientia propriâ & alienâ ſuffultus. *Dionis Cours d'Operations p.* 339. Primum d'un *Palfrenier* de Monſieur le Duc de Chevreuſe; alterum d'une fille de 9. ans, ſe trouvant aupres de gens, qui jouoient aux quilles, cum omnibus circumſtantiis, quibus evincere noſtram ſententiam poſſumus. Primum horum, non ſolùm ictum in coronali oſſe ſeu fronte acceptum ad os occipitis propagari, ſed etiam utrumque os contuſum & oppoſitum ab uno eodemque caſu ſ. ictu findi poſſe probat: Alterum itidem duo bregmatis oſſa eodem modo rumpi poſſe demonſtrat. Idem convincit *Jobi van Meckren Obſervatio med. Chirurg. p.* 21. nec non *Tulpii Obſerv.* 2. *Libr.* 1. ubi laminâ externâ integrâ relictâ, interior læſa commemoratur. Quæ cum ita ſint, non video quâ ratione ingenuorum & expertiſſimorum in Chirurgiâ virorum fideliter annotata obſervationes in dubium vocari queant. Species verò hujus Fracturæ octo recenſet *Ammannus*, Diſſert. de Reſonitu, cap. 2. è quibus tamen frequentiores ſunt (*a*) ſi percuſſâ laminâ externâ, interna finditur. (*b*) Si plaga incidit in Bregmatis os ſiniſtrum, & hoc integro manente dextrum læditur. (*c*) Si etiamſi in loco plagæ fiſſura appareat, nihilominùs oppoſitum quoque os findatur. (*d*) Si percuſſo Occipite fiſſura occurrit in Sincipite vel Frontis oſſe. Hæc autem Fra-

ctur æ ſpecies eandem poſtulat medelam, quemadmodum fiſſura, ſive interna tantùm lamina ſit diſrupta ſive utraque. Si nimis longa eſt talis contrafiſſura, bis vel etiam ter & plus cranium eſt perforandum. Si in utroque Bregmate occurrunt, uti in caſu illo ſupra ex *Dionis* allegato, bis iterum & pluries pro circumſtantiarum ratione terebrandum. Si Fiſſura in Suturis occurrit in utroque Suturæ latere modiolus applicandus venit. Si ſinus aliquis læſus ſit, tum propter magnam quæ indè oriretur; Hæmorrhagiam, malum erit immedicabile.

5 Ἐκπιέσματος, ſ. Effractura cura.

Effractura, quæ cum contuſione & rimis eſt conjuncta, quoniam ferè ſemper abiit diverſas in ſpinas ſ. fragmenta duram matrem prementia atque pungentia, primò omnium poſtulat eorundem exemptionem per Volſellas diverſæ figuræ: cum verò plerunque extractis hiſce inæqualitates atque aſperitates cranii adhuc remaneant, forcipibus aptis, quantùm ſaltem licet, tollendæ ſunt, craniumque lævigandum. Mallei autem plumbei uſum cum expertiſſ. Dione non admittimus, utpotè cujus ictibus maximoperè cerebrum concutitur. Quod ſi impreſſio talis ſit, ut Meninges, quod ex obtuſo cognoſcimus dolore, comprimat, vel Spinas duræ matri infigat cum dolore pungitivo, aliiſque, hinc ſubſequentibus accidentibus: tunc ſi ſola ſaltem fuerit compreſſio, in tenellis puerorum calvariis reſtitui poterit vel cucurbitulis cum flamma magna, ore auribuſque clauſis, adhibitis, vel emplaſtro tenaci, quale *Dexterrim. Schultzen* in ſuo *Tractatu de Vulneribus Capitis* commendat, paratum, ex *Pice, Cerâ, Colophonio, Terebinth. Santal. rubr. Myrrh. Maſtiche cum Spir. Vini*, quòd ubi firmiter cranio adhæſerit celeriter surſum auferatur, vel illo *Hildani*, catagmatico, *in Cent.* 2. *Obſ.* 5. deſcripto. In ætate majoribus, in quibus hæc ob rigidiorem & compactiorem fibrarum contextum non ſuccedunt, utimur terebello, quo cranium perforatum Elevatorio immiſſo, ab *Hildano Cent.* 2. *Obſ.* 4. depicto atque deſcripto it. *in Ephemerid. Decur. ſecund. Ann. I. Obſervat.* 91. demonſtrato, erigimus: id quod etiam in uſu habemus in po-

ſteriore

ſteriore caſu, ubi ſc. fragmenta inſtrumentorum ope extrahere haud poſſumus: hinc propè ejuſmodi Ἐκπίεσμα, cranii perforationem inſtituimus & elevatoriorum ope fragmenta duræ matri moleſta aufferre atque eximere ſolemus.

In *Depreſſione Cranii* verſus interiora non aliter ſe habente, ac ſtannea ſeu plumbea vaſa caſu vel ictu intus cedentia & depreſſa, interdum Terebræ applicatione opus non eſt: Emplaſtra enim, cucurbitula & fotus idem ſæpius, quod trepanum efficiunt: Contingit ſæpè in junioribus ſubjectis, ut Chirurgus arreptis pilis cutem in altum tollendo, ſic relevare cranium poſſit. Vel Terebra, quam Galli *Tirefond* appellant in medio depreſſionis applicetur, atque ejus vi Cranium depreſſum relevetur. In Senioribus verò hæc effracturæ ſpecies cùm ſæpè fiat, ob cranium durum, aridum & facilè ſciſſile, cum fiſſura, vix ſine Trepani applicatione reſtitui poterit. Cujuſmodi tamen fracturæ ſpeciei curam mihi obſervare licuit in quôdam inter Heroës helveticos captos, cujus Cranium à lapſu ab equo ita fuerat percuſſum, ut non tantùm depreſſio Cranii, *Enfonçure* primô intuitu cognoſci ſed & digitus immitti poſſet: Secunda abhinc die aderant maximi Ventriculi Dolores & Vomitus: Optimè tamen à peritiſſimo noſtro *Mathyſio* per factam crucialem integumentorum inciſionem & applicationem *du Tirefond*, & feliciter reſtitutus fuit: hæc enim Symptomata poſt cranii retractionem per ſe ceſſabant, & factum vulnus pro ſolito more ſanatum fuit. Aliud hîc recenſere poſſem exemplum curioſum de Monachô quodam etiam ferè curioſo, ſed cùm brevitati ſtudeam, propero ad Trepanationis modum.

Θλάσις, ſ. Enfoncement du Cerveau.

Obſervatio.

Finis autem Trepanationis ex ſuperius dictis facilè pateſcit, eſt enim ut Sanguis extravaſatus nec exitum inveniens, educatur; Sanies & pus collectum, quod nec Siphone, quô & plures Chirurgi hodierni utuntur, nec ullo alio modo evacuari poteſt, evocetur, & conſequenter utrobique putrefactio Meningum, ipſiuſque Cerebri ſubſtantiæ futura præcaveatur; ſubinde etiam dicta Meninx à dolore intenſo ac inflammatione ex ſuperincumbentis oſſis, globuli ſclo-

Artificium & Modus trepanandi.

Finis trepanationis.

petarii, vel alius inſtrumenti ferientis particulâ pungente metuendâ vindicetur &c. Si itaque læſionis conditio vel ſymptomata Trepani uſum ſuadeant, non diu cunctetur Chirurgus ut maturè id applicet. Varia tamen occurrunt, quæ ante Trepanationem conſiderari merentur. (*a*) Tempus, quod attinet; quanquàm ab Authoribus annotatum ſit tempus electionis, cum tamen illud in morbis ſaltem chronicis obſervandum ſit, in noſtris læſionibus, ubi citiſſima requiritur medela, eidem locum non concedimus. Verùm, cùm jam authoritate *Hippocr.* conſtet, dum *Libr. de Vulner. c.* 20. ultra triduum perforationem non differèndam eſſe perhibet, hodienum inſuper id ipſum certum ratumque ſit; non cunctandum, ſed ſtatim ſecùndo vel tertio die, niſi Hæmorrhagia, Convulſiones &c. id impediant, Cranium perforandum eſſe ſuademus: nec gravia exſpectanda eſſe Symptomata, id quod quorundam hodiernorum adhuc eſt opinio, quoniam tum temporis ſi v. gr. Convulſionibus corripitur Vulneratus, Trepanum admovere minimè licet. Nec tamen ſequentibus etiam diebus modioli applicatio eſt negligenda, præcipuè, ſi primis diebus Chirurgi auxilium non fuerit imploratum, cum & tardius nono, decimo & duodecimo die, imò vigeſimâ nonâ ſeptimanâ cum ſucceſſu Trepanum adhibitum fuiſſe conſtet ex *Scult. Part.* 2. *Obſ.* 13. & *Fienno* Chir. Tract. 1. cap. 8. p. 38.

Tempus.

Locus.

Conſiderari quoque meretur Locus, quem primò materiæ evacuendæ focus determinat, cujus reſpectu Perforatio in loco materiæ evacuandæ commodo fiat. Secundò Loci conditio, hujus autem intuitu, quamvis nullus ferè excludatur, ſed tempore neceſſitatis variis in locis Trepanum admovere liceat, præſtat tamen loca illa, quæ præ cæteris periculoſa ſunt, evitare, præſertim cum comunis Chirurgorum conſenſus & quotidiana experientia Symptomatum, Trepanationem iſtorum locorum, ſequentium gravitatem ſatis ſuperque confirment. Sunt autem Loca illa (1) *Frontis* prope ſupercilia; ſi enim hic Modiolus applicatur, non ſolùm fragmenta ab oſſe illo intra ſinus frontales ſecedunt, ſed etiam

Loca vitanda.

Vulnus

Vulnus difficillimè iterum eſt curabile, partim propter fragmenta & ſegmenta oſſis, partim verò & quidem potiſſimùm ob liquorem, à membrana ſinus illos ſuccingente, ſeparatum continuò effluentem & Vulnus fiſtuloſum reddentem. (2) *Suturarum*, quia ob filamenta Duræ Matris ſuturas tranſeuntia nimia hujus fieret irritatio, & vaſa diploës cum dura matre communicantia rumperentur, undè neceſſariò maximi Dolores, Inflammationes, Convulſiones &c. metuendæ forent: Quantumcunque *Andreas à Cruce famoſus Chirurgus* dicat optimo cum ſucceſſu in ipſis etiam ſuturis inſtitui poſſe. E contrario *Marchette Obſ.* 16. teſtatur, ſe longo artis uſu obſervâſſe, quoſdam ab imperitis Chirurgis ſupra Suturas perforatô Craniô ſeptimâ die mortuos eſſe. Satius ergò eſt bis, in utroque latere propè Suturas trepanationem adornare. Si enim in alterutro tantùm latere Cranium perforatur, metuendum eſt, ne ſanguis vel ſordes pus in altero ſuturæ latere remanens ægrùm poſtea jugularet. (3) Locus *ipſius Fracturæ*, cum fragmentis & ſubſidentia oſſis conjunctæ; ſi enim in hâcce modiolus applicaretur, major ſequeretur depreſſio, Cerebrique læſio. (4) *Temporum* tum ob rationes jam allatas, tum Symptomatum hancce excipientium gravitatem. (5) Locus *ſuperioris Calvariæ*, aut vulgò ſic dictæ *Fontanellæ*, quæ tamen cautela in Infantibus magis locum habet, in Adultis quia oſſa dura admodùm ſunt etiam ibidem inſtitui poteſt. (6) *Inferiores Cranii partes*, ne Cerebrum pondere ſuô verſus foramen Trepanô factum premens, per illud prodeat, aut viam ſaltem materiæ evacuandæ præcludat. Incommodum licèt hocce minore applicatô Trepanô, & Cerebrô decuſſorii ope retruſô & commodô decubitu adhuc aliquô modô evitari poſſit. Quibus omnibus probè conſideratis progrediendum eſt ad ipſum Trepanationis modum. Ipſa Operatio igitur ſequenti methodo in Caſtris helveticis à nobis adminiſtrata fuit. Chirurgus antequàm Operationem ipſam aggrediatur prius omnia ad hanc ſine impedimento peragendam, inſtrumenta juſto ordine diſponit, quorum præcipua ſunt (*a*) *Trepa-*

num,

Apparatus ad Trepanationem.

num, cujus, uti hodienum Gallis uſuale eſt, partes ſunt, Manubrium, Perforatorium, Coronæ variæ, imis oris ſerratæ, ſuperius latæ, inferius anguſtæ, ne plus quàm par eſt penetrare queant, Pyramide intus, ſ. Clavô tenui ferreo inſuper per trochleam inſtructæ, qui tollitur proin, ita ut eadem Corona & maris & fœminæ officio fungi queat. (*b*) *Scalpellum lenticulare*, ad lævigandum Cranium poſt Trepanationem neceſſarium, quantum quidem fieri poteſt. (*c*) Juxta noſtratem ſæpius laudatum, & in hâc Operatione *exercitatiſſimum Mathyſium*, *Lamella plumbea* lævis, ita fabrefacta, ut ejuſdem exactiſſimè ſit magnitudinis & figuræ, ac adhibita Terebella, in medio frequenter perforata & ex utroque latere anſulis ſuis ex lamella plumbea tanquam continuo quodam excifis, inſtructa, à nullo adhuc dum, quantum ſaltem ſcio, deſcripta vel depicta. (*d*) *Elevatoria* varia, majoribus vel minoribus Cranii depreſſi portionibus elevandis dicata. (*e*) *Decuſſorium*, quô Cerebrum pro facilitando Sanguinis vel puris effluxu, deprimitur, quo etiam pertinet (*f*) *Terebra* illa, quam Galli *Tirefond* vocant: Iis dein accedunt alia ad hanc operationem requiſita inſtrumenta: *Forfices*, *Lanceolæ*, *Cultra inciſoria*, *Plumaceoli*, *Turundæ* ex filis carptis concinnè accommodatæ (Gall. *fauſſe Tentes*) *compreſſæ*, Cucupha, Gallis *Couvre chef* audiens &c. quæ omnia eleganter depicta orbi literato expoſuit *Dionis Cours d'Operations de Chir.* it. *Ephem. Germ. Fabric. ab Aquapend. Scult.* &c. Quandò hæc ita omnia probè diſpoſita ſunt ad manus; tum pilis abraſis omnium *primò* fiat integumentorum ſufficiens inciſio, ad duo inprimis attendendo (*a*) *Locum*, quia ſicuti Trepanum non in quovis loco applicare licet, ita quoque inciſio non in omni Capitis plaga convenit: Tria autem potiſſimum occurrunt loca, quæ inciſionem non ſine difficultate admittunt: Suturæ, Muſculi temporales & occipitis pars inferior, quia metuendum eſt, ne muſculis & tendinibus eidem parti adhærentibus, diſſectis motus capitis poſtea lædatur, Convulſiones oriantur. Neceſſitati tamen Leges nullæ ſunt. *Secundò Figuram* Inciſionis,

nis, quæ varia eſt, plerumque ſimilis ✠ alia literæ N, alia literæ T. alia lit. V. alia numero 7. &c. quarum una huic, quàm alii capitis regioni convenientior eſſe obſervatur. Crucialis enim & lit. N. repræſentans in locis à Suturâ remotis, in Oſſe ſc. Sincipitis conveniunt: quæ verò lit. T. & numerum ſeptenarium 7. repræſentat, locis propè Suturas propria eſt; ita quidem, ut ſuperior inciſionis pars ſecundum ſuturæ longitudinem excurrat, inferior verò verſus tempora tendat. Quæ denique fig. lit. V. habet, muſculo temporali magis convenit, ita tamen, ut latior & ſuperior ejus pars ſuperiora verſus ſpectet, acuta autem muſculum attingat temporalem, quò hoc pacto paucæ tantùm ejus diſcindantur fibræ. Non tamen hac in re nimis ſcrupuloſus ſit Chirurgus, ſed libertate & judicio utens inciſionum figuras neceſſitate efflagitante pro lubitu variet. Inciſione peractâ integumenta cum Pericranio, quâ fieri poteſt celeritate, abſque ulla tamen violentia à Cranio, non quidem unguibus, quod ſordidum videtur, ſed inſtrumento convenienti ſeparentur. Quò verò & Hæmorrhagia nonnunquam ſatis urgens ſiſtatur, linteamina concerpta *Alcool Vini myrrhatô*, tanquam optimo *ſtyptico* imbuta immittantur. Vel ſi nimius ſit ſanguinis ex vaſe læſo effluxus, ligaturæ ope cohibeatur; Acus ſc. curva filo cerato inſtructa ſub vaſe diſſecto trajiciatur, filique hujus duæ extremitates ſuper parvo ſplenio vel compreſſa, vulgari nomine ita vocatâ, ligentur & fila concerpta *Liquore ſpirituoſo aromatico tepido* imbuta, uti ſuperiùs imponantur. Commodè proin collocato Ægro, remotiſque, quæ poſt integumentorum inciſionem applicata erant (Lintea ſpirituoſo liq. imbuta, labiiſque ſuperpoſita relinqui poterunt) Labia, ſi neceſſe judicet Chirurgus, parvis faſciis ſufficienter retrahantur, ſi enim à Trepano attingerentur, dolor maximus exindè, aliaque graviora Symptomata orirentur. *Trepanatio ipſa.* Ne autem Æger ſtrepitum à Trepano excitatum ſentiat, communiter ſuadent Authores, ùt aures Bombace vel ſimili materiâ obturentur, ſed minimè, meo quidem judicio, neceſſarium hoc eſt, cùm Ægri ſic æquè

murmur percipiant, ac ſi Aures non eſſent obturatæ; ſtrepitus enim ille ex perforatione cranii excitatus non per aurem externam interius organum ſubit, ſed per oſſium illius contiguitatem atque impulſum tremoriferum ipſis ab inſtrumento impreſſum ad auris interiora propagatur: ut mirer tot viros eruditos atque expertos minutiis ejuſmodi adhuc abblandiri. Cranio itaque probè abſterſo, cum Perforatorio priùs in medio denudati Cranii foraminulum, pro commodiùs excipienda & firmanda pyramide vel clavo, paretur; hinc Trepanum pyramide inſtructum, quod vulgò mas vocatur, majus vel minus pro rei conditione applicetur, manus autem ſiniſtra Trepani ſummitati imponatur, & manubrium dextrâ tamdiu circumducatur, donec circulum in Cranio ſufficientem deſcripſerit terebra; Non tamen nimis Manu, aut Capite manui, juxta recentiores Gallos, impoſito, Trepanum prematur, ſic enim circumductio ejus impediretur: nec etiam remiſſa nimis ſit preſſio, quoniam hâc ratione Corona parùm penetraret. Tollatur poſtmodum modioli pyramis ſ. clavus medius, ne diutiùs relicta nimis altè penetrans Duram lædat matrem. Poſtmodùm Trepanatio continuetur, ſæpiùs interim ad auferenda fruſtilla vel ſegmenta ut & ad refrigerandam Coronam, Trepanum removendo, eamque Alcool Vini immergendo & denuò, quâ fieri quidem poteſt celeritate, inſtrumentum applicando, ita tamen ut abſque ulla ſuccuſſione circumducatur. Quàm primùm verò ad Diploën ventum eſt, quod ex colore ſegmentorum ſanguineo & ſanguineis guttulis quibuſdam exſtillantibus cognoſcitur, ſuſpenſâ magis manu agendum, cauteque mercandum eſt, leniterque adigendus modiolus, quoniam ſæpius lamina interior ſatis eſt tenuis, ita ut Trepanum incautiùs circumductum ex improviſo penetrans Duram matrem facilè pertundat; quare nunc ſæpius eximatur Trepanum & remotis fragmentis foraminis profunditas exploretur. Applicetur jam remotô tantiſper Trepano Terebra, eaque cum Elevatorio apto extractio orbiculi vel cylindri tentetur; quod ſi nimis adhuc Cranio adhæreat,

Trepanatio continuetur, donec fruſtillum vacillare incipiat. Contingit interdum ob inæqualem Calvariæ craſſitiem, vel minus perpendicularem Trepani circumactionem, ut hoc ipſum inſtrumentum indè penetret profundius, ſed minus in oppoſita parte; in quo caſu Trepanô ſublatô, cum Elevatorio aut alio commodo inſtrumento fruſtum à Cranio ſeparandum eſt, eoque exempto aſperitas in foramine relicta Scalpello lenticulari, quantâ poterit fieri cautelâ lævigandā. Perforatô hoc modo Cranio ſtatim Sanguis aut Materia purulenta ſub eo contenta apparebit, quæ exactè linteo teneriore eſt abſtergenda, aut ſi hoc non licet, decuſſorio aliquantulum Dura Meninx deprimenda, quô viâ hac ratione paratâ, faciliùs effluere poſſit; Maximè aliàs ejus effluxus facilitatur, ſi Æger ſpiritum retinet aut leviter tuſſit, ubi ſenſus ſc. & vires hoc permiſerint, hoc enim conatu dura meninx nonnihil elevatur, puſque expellit. Cum Elevatorio dein, vel quod melius cum Digito examinetur, an adhuc lateant ſpinæ ſ. fragmenta Cranii quæ adhibitis cautelis diligenter eximenda forent. Quod ſi unicâ Perforatione Ægri conditioni ſatisfactum videatur, Trepanum non amplius applicandum; ubi verò cauſæ, quarum gratiâ ejuſmodi operatio inſtituitur nondum removeri poſſunt, tum verò neceſſitas ulteriorem operationem efflagitat, atque Chirurgus minimè ſcrupuloſus eſſe debet eandem bis, ter aut pluries reiterare. Duodecies enim in Puella undecim annorum cum fructu inſtitutam eſſe teſtis eſt *Dionis p.* 358. Nec non ferunt Authores de *Philippo Naſſavio, quod Trepanationem à Chirurgo Chadborn vigeſies ſepties ſuſtinuerit.* vid. *Hiſtor.* apud *Dn. Stalpart. Obſerv. var.* 8. quæ hiſtoria non minus inſolens quàm incredibilis mihi videtur. Si tandem nec ſecunda nec tertia &c. Trepani applicatione cauſæ ſui evacuationem efflagitantes & requirentes patefierent, tunc concludere liceret, vitium vel in Cerebro ipſo hærere, vel ſaltem Duram inter & piam matrem materiam purulentam vel ejuſmodi quid latere; quo in poſteriore caſu, potiùs adhuc inciſio Duræ Matris eſt tentanda (obſervatis tamen ſimul omnibus præ-

cautionibus ratione vaſorum ſanguiferorum illam membranam perreptantium) quàm Ægrum auxilii, ſolaminiſque inopem relinquere, cùm juxta *Celſi* præceptum anceps præſtet quàm planè nullum experiri remedium. Peractâ Trepanatione Foramini Calvariæ ſtatim immittatur Lamella plumbea perforata, ita tamen, ut dimidiata ſui craſſitie ultra ipſius Cranii interiorem tabulam intrudatur propius verſus Duram matrem, ſicque impediatur, quo minus hæc motu ſuo oſcillatorio ad aſperas oras à Trepano in Calvaria productas allidat, ab iiſque vellicari & lædi poſſit. Perforata ſit hæc lamina, ut materiæ intus adhuc forſan latentis continuò ad exitum via ſit parata; alioqui etiam hæc Lamella impedit, quò minùs Aëri hiſce partibus peculiariter infenſo aditus pateat. Anſulæ verò eum præſtant uſum, quo immitti commodè & extrahi pro lubitu eadem poſſit, & ne in cavitatem cerebri delabatur. Hoc aſteriſco annotandum, quod ejuſmodi machina non ſtatim ſit eximenda, ſed per tres, quatuor, quinque, imò ad quatuordecim dies uſque, ſi materia intus contenta oſcillatorio motu duræ Meningis non omnis ocyùs expellatur, intrò tenenda. Huic lamellæ poſt inſtillationem Tincturæ ſpirituoſæ ſuper ipſam Duram meningem, imponatur panniculum ſericeum (Stuckgaſe) *Liquore aliquo ſpirituoſo* calido imbutum: Ex. gr. *Spir. Vini rectificatiſſ. vel camphorato, theriacali, cum Balſamo peruviano, Myrrha, Maſtiche, Croco &* aliquantillo *Olei Terebinthinæ.* Quo facto Plumaceoli eodem liquore imprægnati ſuperimponantur. Porrò ſub labiis ponimus Fila ex linteis puris & teneris concerpta, & ſpiritu aromatico vel digeſtivo, Alcool Vini, Camph. Myrrhâ &c. animato imbuta; quæ obſtant, quo minùs ejuſmodi labia ſubitò iterùm accreſcere poſſint. Hiſce omnibus obducimus fruſtum ſatis magnum Veſicæ, quod hoc præſtat, ne ſpirituoſa applicata remedia, ut fert eorum natura, avolare poſſint, ſed potius per plumaceolos, panniculum ſericeum, & foraminula Turundæ plumbeæ inferiora verſus ſc. ad ipſas Meninges & Cerebrum tendant. Veſicæ rurſus Linteum quadruplicatum ſiccè

Trepanatione peractâ, Lamina Mathyſiana debitò ſuò modò eſt immittenda.

Cautela in hujus laminæ exemptione notanda.

ſiccè calefactum, Compreſſa alioqui vocata imponitur. Denique commodâ Deligatione, quam Latini *Capitium*, Galli verò *Couvre chef* appellant, omnia firmantur. Altera ab Operatione die, ſi adhuc in vivis ſit Æger, renovetur Deligatio & quemadmodùm pridie omnia præſtentur, Aëris ad Meninges acceſſum quoad licet evitando; Quolibet die autem bis deligatio renovanda, donec omne heterogeneum evacuatum, atque exfoliatio Cranii & Duræ matris peracta ſit; in hâc enim quoque Membrana exfoliationem contingere teſtis eſt *Dionis p.* 362. diſant: *Car elle s'exfolie, ou ſe pele, comme les autres Membranes.* Quamprimùm ichor omnis ſufficienter eſt excuſſus, Turundam plumbeam removere oportet, quô factô paulatim caro rubicunda è dura matre exſurgit, & cum alia ex Cranio prodeunte conjuncta foramen Trepano factum examuſſim replet, dumque ſimul caro nova exterius generatur, Cranium denudatum ſenſim perfectè tegitur, quod plerumque ſpatio 40. l. 50. dierum, in aliis citius vel tardius contingit. Quò autem eò melius tota fovea repleatur diu ſatis monente *Schultzen p.* 206. remediis Sarcoticis ad perfectam ſc. uſque conſolidationem inſiſtendum eſt, in quorum numero excellere puto *Tincturam illam Mathyſianam* ex *Alcool Vini* cum *Myrrhâ, Aloë, Camphora, Croco, Nuce moſchata* aliiſque *aromaticis* parata, quæ ab initio uſque ad finem inſervire poteſt, ita ut promiſcue, Digeſtivi, Mundificativi, Sarcotici atque Conſolidantis nomen optimo jure mereatur. Poſtremò Cura pro lubitu *Emplaſtro Diapompholygos*, vel de *Minio*, aliove exſiccante abſolvitur. Peractâ Trepanatione etiam ad Symptomata varia advertendum, quæ ei frequenter ſuccedere ſolent, quò iis in tempore peculiaribus remediis obviam eatur, nec non Diætæ exquiſita ratio præſcribenda.

Tincturæ Mathyſianæ Elogium.

Sequuntur jam Narium & Trunci diverſæ Fracturarum ſpecies, quas digito ſolùm attingere animus eſt. In *Fractura Narium*, quod exſtat deprimendum, & quod depreſſum baculo convenienti, goſſypio involuto & circumducto, naribuſque intruſo, cautè tamen & circumſpectè exterioraverſus

Fractura Narium.

 ſus

ſus propellendum, pollicem dein manûs ſiniſtræ exterius fracto oſſi imponendo; Oſſe itaque repoſito fiſtula quædam plumbea aut penna, convenientis magnitudinis & figuræ, anſuliſque inſtructa naribus venit inſerenda ad facilitandam tùm reſpirationem, tùm oſſa fracta retinenda, ſuperimpoſitis exterius medicamentis ſpirituoſis, aliiſque neceſſitate id poſtulante, uti de Vulneribus & Inflammationibus indigitavimus.

Maxillæ. *Maxillæ fracturam* reſtituit Chirurgus, digitorum tum ori inſertorum (ad eminentias oſſis ab intus exteriora verſus cautè propellendas) tum exteriùs applicatorum (ad eminentias extus apparentes introrſum deprimendas (operâ & artificio. Quod ſi non ita ſuccedat, Miniſter caput totum ad poſteriora, Chirurgus verò maxillam ipſam ad anteriora ducat, quâ extenſione plus vel minùs forti peractâ, repoſitio fiat & debita deligatione (apud Gallos *Cheveſtre* nominata) ita conſervetur, adhibitiſque etiam medicamentis Æger muniatur.

Claviculæ. In *Claviculæ Fractura* Miniſtrorum unus brachium retrorſum, alter verò caput ad latus ducendo, & ſcapulam anteriora verſus premendo præſtabit, ut interea Chirurgus ſurſum compellere poſſit, quod depreſſum eſt, & deorſùm, quod eminet. Quòd ſi verò Glomus lineus alæ partis læſæ imponatur, hinc Brachium ad coſtas deprimatur, operatio non parùm facilitabitur. Oſſe itaque reducto cavitates ſupra infraque claviculam ſunt replendæ duabus compreſſis, nec non alia imponenda oſſi læſo, ejuſdem ferè figuræ, ſuperaddendo dein majorem aliquam, quæ reliquas ſimul contineat, firmandoque tandem omnia cum deligatione, quam neoterici *Geranium*, Galli *Capeline* appellant; ſi ſc. os in medio ſit fractum, quod plerumque contingit. Nam ſi ejuſmodi Fractura magis appropinquaret ad Caput humeri, alia paulò inſtituenda eſſet Deligatio, *Spica* ab eruditis dicta additis pro rei exigentia addendis.

Scapulæ. In *Cervice Scapulæ*, aut in apophyſi *Acromion* à Gr. dictâ cum humero articulationem ineunte, quæ contingit Fractura,

fere

fere incurabilis eſt. Si circa ſuperiora obtigerit, quod facilè eſt cognoſcere tactu, humeri eminentiæ manuum & faſciarum operâ deorſùm à Chirurgo, quantum fieri licebit, deprimuntur, hâcque ratione repoſitæ & coaptatæ deligatione appropriatâ à Gall. *Etoile* nominata firmantur. Si fragmenta forſan oſſis forent moleſta, cute inciſâ eximenda in tempore eſſent, niſi perioſtio adhuc cohæſerint, in quo caſu ſuppurationi relinquenda.

Sternum. *Sternum* incurrit fracturam & depreſſionem; illam cognoſcimus ex inæqualitate digitis cedente, cum aliquali ſtrepitu; hanc ex ſinu, dolore, reſpirationis difficultate, tuſſi, ſanguinis ſputo, & ſimilibus. Status uterque exigit, ut Ægro reſupinato corpus aliquod convexum ſuo Dorſo è regione fracturæ collocetur, tunc à Miniſtro utrinque humerus cum ſcapula poſteriora verſus deprimatur, ut inde ſternum depreſſum elevetur, Chirurgus verò coſtas manu utrinque comprimat, uſque reſtitutio facta notetur. Si hoc non ſuccederet, tentanda foret inciſio, ac denudandum os, cui circumſpectè applicetur *un Tirefond*, eoque retractô os elevetur iterum, eique in priſtinum locum reducto Deligatio injiciatur *Quadrigua* nominata.

Coſtarum. In *Coſtarum Fracturis* ſimplicibus abſque partium vicinarum contuſione gravi, aut Inflammatione, Coſta fracta ſi extra promineat, manuali compreſſione in naturalem ſitum reducenda, locando Ægrum debitè & incurvando truncum in latus Fracturæ oppoſitum. Si intro vergat Coſta fracta Æger ſpiritûs retentione eam exteriùs compellat, Chirurgus verò ægrotanti, quantum quidem poteſt, manibus ſecundum artis poſtulata ſuccurat. Inſuper Emplaſtrum aliquod validè cuti adhærens imponendum, idque aliquoties cum impetu auferendum, donec in locum iterùm ſuum Coſta videatur reſtituta. At certiſſima Methodus hæc eſt, ſi inciſionem inſtituamus, eaque ſufficienter factâ cum digito os priſtinum in locum reducamus. Oſſi repoſito imponatur compreſſa, cum duabus parvis chartis, ſatis tamen fortibus, cruciatim ſibi ſuperpoſitis, hiſce aliam majorem Compreſ-

ſam

ſam addendo, omniaque tandem obducendo mantili triplicato, quod in Dorſo aciculis quibuſdam vel acu filo trajectâ firmamus; ne verò & hoc forſan in ſomno decidere poſſit, retinemus hoc mantile faſciâ aliâ latitudinis 6. digitorum in medio inciſâ ſatis, ita ut ſuper Caput Ægri induere valeamus, extremitates hujus fasciæ (Gall. *Scapulaire* dictæ) annectantur anterius atque poſterius mantili triplicato aciculis quibuſdam. Hæc deligatio non tantùm in oculos cadit & admodum eſt elegans, ſed & omnium certiſſima atque optima.

Vertebrarum. *Vertebrarum Fracturæ* contingunt communiter in Apophyſibus, rariùs in earum corporibus. Si Apophyſes ſpinoſæ ſunt læſæ, Æger in ventrem incumbat, & Chirurgus tentet pro virili & ſecundum artis leges illas in naturalem iterum ſituationem reſtituere, dein in utrumque Apophyſeos latus imponat anguſtam ſed longam compreſſam, quæ tegantur duabus ejuſdem magnitudinis & figuræ martis, hiſce aliud linteum quadruplicatum imponendo. At ſi medulla ſpinalis ſimul patiatur, ita ut paralyſin incurrant brachia pedeſque Ægrotantis, urina fœceſque alvi retineri nequeant, ferè mors in propinquo eſt. Interim ut nihil negligi videatur, inciſionem in loco Fracturæ faciendam ſuademus, quò fragmenta liberè eximi, cœteraque in priſtinum ordinem diſponi, atque ut Vulnus malum curari poſſit. Eadem etiam intelligenda ſunt de *Oſſe ſacro* & *Coccygis*, in quo poſteriore tamen hoc ſingulare eſt, quod digitis unius manûs in anum immiſſis reſtitutio commodè perfici queat, ſi ſimul etiam alterâ manu ad oſſium coaptationem exteriùs ſit adjuta.

Luxationes. XLVI. Jam accedimus ad *Luxationes* ſive *Emotiones* aut *Dislocationes* Oſſium flexibilium è ſua naturali ſede, cum voluntariæ flexionis impotentia, acerboque Dolore perpetuo conjunctas. *Earum differentia.* Differentias Luxationum varias obſervare licet. Ratione partis affectæ, *alia* in Humero, Cubito, Radio, alia in Femore, Genu, Talo, Vertebris, Maxilla, Oſſiculis digitorum manus, pedis &c. occurrit. Reſpectu temporis alia recens, alia inveterata. Reſpectu morbi ipſius *Luxatio* eſt

vel

vel perfecta, in quâ Oſſis caput è ſuâ ſede penitus excidit, vel imperfecta, in quâ leniter tantum è ſua ſede ad quodcunque latus dimovetur & adhuc in ejus ſupercilio continetur. Dein ipſa quoque Oſſis extremitas v. gr. in Femoris, Humeri articulo nunc in partem ſuperiorem recedit, nunc inferiorem, nunc exteriorem, nunc interiorem, quæ Dislocationis varietas quaternaria, pro fundamento habet quatuor motiones cardinales, mediantibus muſculis in articulo quovis fieri ſolitas. Ratione Symptomatum alia eſt ſimplex, cum aliquod os è ſede ſua naturali dilabitur ſine Symptomate quodam graviore, alia compoſita, quæ uno vel altero peculiari Symptomate ſtipata deprehenditur. Luxatio tandem eſt vel adventitia, vel hæreditaria, quemadmodum apud multos os Femoris à nativitate eſt dislocatum, quorum parentes ſunt claudi. *Cauſam Luxationis* omnis duplicem invenimus externam unam, quæ vulgatior quidem, internam alteram, quæ rarior eſt. Cauſa externa eſt impetus quidam violentus in membra corporis redundans, velut Ictus, Caſus ab alto, ſaltus, percuſſio, contuſio, gravioris ponderis geſtatio, diſtorſio, perverſio, fortior Membrorum expanſio quæ ſunt ejuſmodi plura. Cauſæ internæ ſunt triplices (1) mala Conformatio per vitium conceptionis. (2) Laxior Ligamentorum oſſa ſuis in ſedibus continentium textura atque tonus. Tandem (3) Humorum ſeroſo mucilaginoſorum affluxus in locum articuli. Aliquandò materia talis congeſta adeò mucoſa exiſtit, ut exindè per quietem primò Gelatinæ, dein Cartilaginis, tandemque oſſis forma exurgat, quod ſenſim incrementum capiens articulationem deturbat, qui Dislocationis modus vocari conſuevit *Anchyloſis*. Vid. *Nuck. Exp. Chirurg.* 48. *p.* 121. Et hæc quidem ſpecies difficillimè, aut ferè nunquam ſe ulla arte corrigi patitur, quia callus in articulo induratus omnem repoſitionis ſpem præſcindit. Dignum obſervatu eſt, quod recenſet *Celeberrimus* atque *Experientiſſimus Hoſpes meus ad Cineres uſque Colendus in Theatr. Prax.* Matrem hîc Baſileæ claudicantem, tres filios peperiſſe claudos, ex femoris luxatione,

Cauſæ luxationum.

ne, totidem autem filias non claudas in lucem protuliſſe.

Diagnoſis. Pergimus ad *Signa diagnoſtica* quorum quædam ſunt communia omnibus Luxationibus, quædam ſingulis propria; Communia Luxationis perfectæ ſigna ſunt Articuli figura mutata, cum motûs voluntarii impotentia, Tumore in ea articuli parte, in quam Os exceſſit, ſinu autem in oppoſita. Utplurimùm Cauſa violenta præceſſit ictus, lapſus ab alto, ſaltus, contuſio &c. Junguntur Dolor, Inflammatio, Calor, Febris &c. Nec non membrum luxatum brevius evadit oppoſiti lateris membrô. In quo tamen advertendo diligenter circumſpiciendum, an fortè ſanum membrum, quod cum altero comparatur, alioquin ſit vitiatum, putà diſtortum, emaciatum, aut tumidum? Alioquin fucum faciet, ac minus cautis imponet, uti obſervavit *Paræus de Luxat. Cap.* 4. cujus ſententiam egregiè illuſtrat *locus Galeni*, quo hiſtoriam de Empirico quodam introducit, qui cum in *Ægro* ambos Humeros luxatos *habente*, dignoſcere deberet, utrum eſſet luxatus, nec ne? reſpondit negando, ita judicans, quod ex collatione utriuſque humeri nil niſi æqualitas appareret, minimè verò attendens, quod alter Humerus ſimul eſſet luxatus; præternaturalis adeoque æqualitas ipſum fefellit. Reliquas Dilocationum ſpecies è generalibus facile eſt dignoſcere.

Signa Luxationis perfectæ & imperfectæ. Signa differentiæ inter luxationem perfectam & imperfectam hæc ſunt, quod in illa plerumque Membrum brevius eſſe conſpiciatur, niſi fiat à ligamentorum elongatione, quæ utplurimum cauſam agnoſcit internam: in hac verò incompleta ſcil. longius eſt Membrum, tunc temporis in margine poſitum eſt, facitque peripheriam articulationis in alterutra parte eminentiorem, & ſuperſtes eſt adhuc aliqualis licet is difficilis & dolorificus membri motus; deinde Membri quoad figuram nulla ferè obſervatur mutatio, exquiſitior adeſt Dolor, quia capite ſuper marginem cavitatis poſito, ligamenta atque tendines muſculorum majorem patiuntur tenſionem, quàm ubi os planè egreſſum eſt.

Signa Luxationis à Cauſa interna. *Signa Luxationis à Cauſa interna* ſunt, quando nullæ violentæ & evidentes cauſæ præceſſerunt, ſi membrum non ſimul

ſimul & in momento, ſed paulatim deſerat ſuum naturalem ſitum, quando pars vacillat inſtar acus de filo ſuſpenſæ, quando undique circa articulationem aliqualis cavitas animadvertitur, ſi membrum plus ſolito longius, & cum motu difficili atque dolorifico, quando ſimul Æger ſeroſo pituitoſâ vel ſcurbuticâ etiam Humorum diatheſi laborat, in qua ulteriore Dolor obſervatur acerbus atque conſtans.

Quod Symptomata attinet, ſi in Dislocatione eveniat, ut Tendines alicubi valdè premantur, aut expanſi nimiùm fermè dilacerentur, non poteſt non Dolor ſimul inſignis excitari, isque tamdiu durare donec os priſtinum in locum fuerit repoſitum, articulusque ſuæ integritati reſtitutus. Imò ſimul cum dolore intumeſcentia jungitur, impediens, quò minùs ante ejus diſcuſſionem os in ſuum reponere articulum valeamus. Luxationi non raró, imprimis imperfectæ atque admodum dolorificæ ſuccedit Convulſio, Inflammatio, Abſceſſus, Ulcus, Paralyſis, Atrophia, nec non aliquando Gangræna & Sphacelus. *Symptomata.*

Oſſa, quæ profundam faciunt articulationem, ut os femoris, cum fuerint luxata, difficilioris ſunt repoſitionis. Quo longiùs & difficilius Oſſa è ſua cavitate abierint, eò tardiùs & difficilius reponuntur, quò verò propiùs & faciliùs, eo citius. Quippe à figurâ & ſtructura naturali argumentatio fieri poteſt, ad facilitatem & difficultatem ſtatus præternaturalis, quod ſpecialius deducit *Foreſt. Obſ. Chir. Libr.* 9. *Obſ.* 1. *in Schol. p.* 418. Luxationes perfectæ ſemper repoſitu ſunt difficiliores luxationibus imperfectis; item Luxationes articulationum per ginglymum ſunt multum periculoſiores, quàm earum partium quæ per enarthroſin vel arthrodiam articulantur; hinc Luxatio Vertebrarum Colli ac Dorſi perfecta propter compreſſam medullæ ſpinalem lethalis plerunque obſervatur; Luxatio autem *Vertebrarum dorſi infimarum* propter compreſſam tantùm dictæ medullæ partem, nervos ad artus inferiores mittentem, paralyſin crurum inducit, & impoſſibilis eſt reſtitutionis. Luxatio, in qua margines ſ. ſupercilia oſſium franguntur, vel in qua Tendi- *Prognoſis.*

nes vel Ligamenta rumpuntur peſſima judicatur, & nulla ferè ſupereſt amplius mali medela, qualis proin plerunque contingit in Femoris oſſe. Quibus carnoſus atque robuſtus eſt corporis habitus, atque fibrarum muſculoſarum tonus, item Corpus ſiccum, Ligamenta ſicciora atque robuſtiora, his Oſſa elocata difficiliùs reſtituuntur quàm illis, quibus textura Muſculorum, Tendinum atque Ligamentorum eſt delicatior atque tenerior. Luxatio à Nervorum Ligamentorum lacertorum atque tendinum laxitate, atonia, contorſione &c. oriunda difficilis eſt reſtitutionis atque curationis, facile enim licet repoſita denuò excidunt oſſa. Raro per diſcuſſionem cumulati Humoris Tendines atque Ligamenta laxata reſtituuntur, quandoque verò poſt longos cruciatus in Apoſtema, hinc Ulcus fiſtuloſum vix ac ne vix quidem ſanabile terminatur. Vetuſta ſi fuerit luxatio, & temporis ſpatio jam callo forſan obdurata, deinceps l. difficillime l. haud amplius reſtituitur. Quibus in pueritia articuli exciderunt, neque repoſiti ſunt, minus quàm cæteri creſcunt, cujus ratio ex pathologia innoteſcit. Quò periculoſioribus Luxatio ſtipata fuerit Symptomatibus, eò difficilioris atque tardioris etiam erit ſanationis; idemque valet de Luxatione in qua ſimul Vulnus, Fractura, Anchyloſis, aliaque malum complicantia affuerint.

Curatio. Ad curationem Luxationum in genere hoc unum requiritur, ut Dislocatum os in propriam & naturalem ſuam ſedem eâdem quâ exiliit viâ reponatur; quæ operatio à Græcis ἀρτρέμβολον vocari conſuevit. Hæc verò conſiſtit in quinque actionibus ſc. *Momentum (a)* (*a*) *Extenſione* ſ. ἀντιτάσει membri, cujus methodus varia & adminiſtratio tum ex ſupra commemoratis circa Fracturas intelligi, tum verò copioſiùs videri poteſt apud *Hippocratem, Scultet. Armam. Chir. Tab.* 24. 49. *fig.* 1. *Paræum Lib.* 15. *Cap.* 7. *Hildan. Cent. V. hiſtor.* 86. *Celſum, Cap.* 16. *p. m.* 517. *Foreſt. Obſ. Chir. Lib.* 9. *Obſ.* 1. *p.* 420. &c. tum recentiores *Verduc, Dionis, Le Clerc, Vaugion,* alioſque quorſum bona cum venia Lectorem dimitto. (*b*) (*b*) Extenſi membri repoſitione atque coapta-

aptatione, quæ Διόρθωσις ſ. Μόχλευσις græcè appellatur, hæcque preſſo pede priorem ſequitur, & per ſe ſolitarie nunquam adminiſtratur, melius ex Autopſia quàm ex deſcriptione & lectione addiſcenda. Si Figura luxati Oſſis ex comparatione cum membro ſano appareat recta, & æqualis, ſi Dolor ceſſaverit plurimum, ſi potentia movendi membrum redierit, tunc felicem coaptationem eſſe factam judicabis. (c) Deligatione l. ἐπιδέσει, cujus beneficiô repoſita in articulum oſſa per plures dies tranquillè detinentur, atque firmantur, donec vigor extenſis antea ac debilitatis Ligamentis, Tendinibus, Nervis &c. redierit; Ad corroborationem verò iſtam membri conferunt *Fomenta nervina* ac *ſpirituoſa*, ex *Decocto Radicum, Herb. Flor. Sem. Gummatum, cum Vino parata*, vel ex *Spiritibus quibuſvis ſimplicibus l. compoſitis*, interdum ulterius *Eſſentia Myrrhæ Camphor. Caſtor. Spir. Sal. ammon. Oleis deſtillatis &c. acuatis*. Cujuſmodi ſpecialia ſuperiùs circa *Vulnera* & *Contuſiones* jam expoſita proſtant. (d) Situ congruo membri ac decubitu, l. Ἐμβολὴ, quæ cæteris anteactis unicè conſiſtit in debita & æquabili quiete, non prius rumpendâ, quàm ſufficiens Membro & articulo vigor ſit reſtitutus. (e) Symptomatum, quæ fortè interceſſerint, Inflammationis, Febris, Convulſionis, Gangrænæ, Atrophiæ, &c. convenienti ablatione, per ſpecialia præſidia ac medicamenta, quæ ex ſuperioribus circa Vulnera, Fracturas, & Contuſiones expoſitis, ſatis ſuperque innoteſcunt.

(c) (d) (e)

XLVII. Sequuntur jam *Herniæ* inteſtinales, quibus Caſtra ſequentes ſæpiſſimè affligi multiplici experientia obſervavimus. *Herniæ caſtrenſibus familiares.* Eſt autem *Enterocele* ſ. *Hernia inteſtinalis* ille affectus, cùm ob nimiam Peritonæi dilatationem (rariſſimè rupturam) Inteſtini Ilei portio primùm in inguina, mox etiam ſi major Peritonæi hiatus evadat in Scrotum delabitur, ibique Tumorem præternaturalem, cum dolore tenſivo, alvi conſtipatione, Colica, ſubinde & Vomitu ac Miſerere mei producit. Malum tanto citiùs curandum, quò magis exigui temporis ſpatio in perniciem ægri evadere poteſt, ſi elapſa inteſtina flatu aut fœcibus diſtendantur, hinc

inflammationem ſubeundo Ileum atrocem, & proximè gangrænam lethalem cauſentur; aut quia per temporis decurſum uſque & uſque gravior Hernia, tandemque incurabilis planeevadit, ni Teſte alterutro forſan ægrum crudeliter privare velis, ſubinde & ipſa hac operatione in vitæ diſcrimen ipſum conjicere. Cognoſcitur ſic ſatis *inteſtinalis Hernia,* quando nunc in Inguine tantum, nunc etiam in Scrotò ſimul Tumor aliquis tenſivus major minorve deprehenditur, qui preſſione congruâ in Abdomen retrudi quidem poteſt, ſed brevi tamen denuò redit, idque præſertim ſi niſus corporis validus, clamor intenſus, vomitus vehemens, aut ſimiles cauſæ præceſſerint. Adde Tumoris molem eſſe variabilem, interdum quaſi ex improviſo evaneſcentem, murmur l. rugitum edendo, quoties cum digitis fuerit intrò compulſus.

Curatio ejus. In Curatione, ſi Dilatatio Peritonæi non ſit adeo magna, neque Tumor inſignis vel inveteratus, nulla *Herniotomiâ* opus eſſe cenſemus, ſed retruſo in ſuum locum omento ac ileo Ligationes ſaltem convenientes Artis lege inſtituendæ veniunt, utpotè quibus haud raro malum hoc correctum ſcimus, id quod etiam *Dexterrimus Operator Dn. Chriſtianus Kupferſchmid,* noſtræ civitatis *Senator graviſſimus* atque *Præfecturâ de Groſsweil cum laude inſigni defunctus, pro tempore Oeconomus Decimarum meritiſſimus, Cognatus meus honoratiſſimus* ſæpè ſæpius præſtitit. Quali autem ratione inſtituendæ ſint, clarius atque melius ex autopſia addiſci, quàm literis deſcribi poteſt. Ubi verò antiquus eſt Morbus, ac ſubligaculis ægro non ſatisfit, ad *Herniotomiam* devenire oportet, quæ quidem operatio fit nunc cum, nunc ſine Teſtium exemptione, quarum hæc ſi commodè & à peritiſſimo Chirurgo inſtituatur, illâ ſolidior atque præſtantior cenſenda. Utraque variis inſtituitur modis, quos apud Chirurgos varios invenire licet, *Charriere des Operations de Chirurgie, Le Clerc Chirurg. complette, Dionis Cours d'Operations,* & alios, quorſum brevitatis gratiâ Lectorem bonâ cum veniâ ablegatum volumus. Quemadmodum verò Hernia in principio neglecta,

neglecta, & ab ægrotante ſiniſtrè habita, brevi Inflammationem ilei, ſpaſmos Inteſtinorum & Diaphragmatis, Vomitum aſſiduum, Gangrænam, Febrim, mox & poſt tantos cruciatus & miſerias mortem poſt ſe trahere ſoleat, exemplo *Viri Juvenis Caſſellenſis, Schütz, Chirurgiæ addicti*, nuper hic Baſileæ compertum eſt.

Amputationes in Caſtris frequentes.

XLVIII. Superſunt *Membrorum exſtirpationes* in ultima corruptione partis alicujus, cùm nulla fuerit illa iterùm reſtituendi poſſibilitas, perficiendæ. Neceſſitatem hujus operationis inferunt Gangræna, Sphacelus, Caries, Contritio ſumma partium, à globis tormentariis, pyrobolois, glandibus, igne miſſili, ictibus violentis, (*par des Coups de Canon, ou de Fuſil, des Eclats de Bombes, ou de Grenades,*) & ſi quæ ſunt aliæ cauſæ externæ, Membra Militantium ſæpiùs ita lædentes, ut in minutiſſima atque plurima fragmenta redigantur, eorumque impoſſibilis ſit reſtitutio. Hinc eſt profectò, quod tantam Militum catervam videre liceat, (*Dans les invalides à Paris*) brachio, pede alterutro vel utroque carentium. Hæc verò operatio Acrotiriaſmos jam dudum innotuit, juxta *Ovidii* monitum: *Quicquid corruptum planè eſt, Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.* Antequam verò ipſam aggrediamur Operationem, oportet ut ad manus habeamus omnia ad hanc rite perficiendam, neceſſaria, in Diſco aliquo convenienti ordine diſpoſita, ne ſc. in ipſa pòſt Operatione Chirurgo forſan aliquid deſit, ipſaque tunc plurimum retardetur, vel impediatur. Primò autem requiruntur omnia inſtrumenta ad exſtirpationem membrorum peragendam deſtinata, ſecundò varia præſidia ad *Hæmorrhagiam* ſiſtendam, tertiò *Faſciæ* diverſæ, aliaque ad convenientem deligationem uſurpanda, qui proin apparatus conficitur (*a*) Duabus compreſſis, unâ longitudinali, alterâ circulari; (*b*) Machinâ quâdam, Gall. *Tourniquet double* (*c*) Faſciâ contextâ, forti ſatis, latitudinis digiti unius tranſverſi, (*d*) Cultrô inciſoriô recurvô nullam in dorſo habente aciem, (*e*) Scalpellô magnô myrtiformi, ad incidendam atque ſeparandam carnem Oſſibus interjectam, & perioſtium, præcipuè

cipuè ſi per cultrum curvum inciſor. quod ſæpiſſimè contingit, non eſſet diſſectum planè. (*f*) Serrâ acutiſſimâ ad percidendum os quàm commodiſſimè. (*g*) Volſellis variis en bec de Corbin, filo ſericeo inſtructis ad ligaturam Vaſorum, vel quandam annulo inſtructam, quo firmari poſſit Arteria in extremitate comprehenſa. (*h*) Acubus diverſis, (*i*) Filis ceratis, (*k*) Compreſſis diverſis. (*l*) Pulvere ſtyptico, ex *Bolo arm. Terra ſigill. Catechu Sang. Drac. Stercore ſuillo combuſto, Ranis prægnant. uſtiſ. Terr. Vitrioli dulci* &c. (*m*) Fruſtis aliquibus Vitrioli, ſi forte neceſſitas ea poſtularet. (*n*) Tribus Compreſſis quadrangularibus, extremitatibus Arteriarum imponendis (*o*) Duobus Plumaceolis imbutis *Spiritu Vini alcohol.* cum *Myrrhâ* & *Croco*, qui imponendi Oſſibus denudatis (*p*) Plumaceolis aliquot imprægnatis *Liquore* aliquo *ſtyptico*, ex. gr. *Spir. Vini rectif.* cum *Tinctura Myrrh. Aloës, Camphorâ* & *Sale ammoniaci*, quibus totum obtegetur vulnus (*q*) Splenio magno ex ſtupâ cannabinâ, ad extremitatem membri truncati integrè obtegendam. (*r*) Veſicâ bubulâ in limbo fiſſâ, in cujus fundo contineatur pulvis adſtringens (*ſ*) Emplaſtrô glutinante catagmaticô magnô & ritè laciniatô (*t*) Compreſſâ ad inſtar Malthenſis crucis fiſſâ (*u*) Quatuor Compreſſis longitudinalibus, duorum tranſverſorum digitorum latitudine, & dimidiæ l. integræ ulnæ longitudine. (*x*) Faſciis duabus unius Capitis, aliaque duorum capitum, octo l. decem ulnarum longitudine, quatuor digitorum latitudine, cum quâ fit deligatio *La Capeline* Gall. appellata. (*y*) Denique Mantilibus aliquibus, ſi fortè neceſſitas poſtulaverit.

Amputationis actus ipſe. Ægrum itaque cardiaco & opiato munitum beneque l. in lecto l. ſcamno vel etiam ſella ad hoc adaptata collocatum famulus quidam ſuſtinebit poſteriùs, genubus inſiſtens, vel ſedens, dum alius Miniſter in eodem latere, in quo Operatio eſt peragenda, partis ſanæ cutim cum muſculis ſubjectis circumcirca, quantum quidem poteſt (membrum duabus manibus amplectendo) ſurſum trahit. Tunc Operator pollicis latitudine ſupra locum futuræ inciſionis partem

Faſciâ

Faſciâ(*Num. b. & c.*)hinc atque illinc compreſſis munitâ, partim ad retinendam cutim & muſculos retractos,partim ad imminuendum dolorem atque ſiſtendam hæmorrhagiam arctè conſtringat, partemque uſque ad locum futuræ amputationis ſcamno alliget firmiter, alteram verò partem amputandam obvolvat mantili quodam, ferè ad uſque inciſionis locum, hancque Miniſter tertius è regione Ægri locatus, genu alterutro in terra poſito firmiter atque in æquabili altitudine contineat, dum interim alius adhuc ad porrigenda inſtrumenta, & quævis juſſa Operatoris exequenda præſtò eſt. Nunc alteram inſtituit ligaturam Chirurgus trium tranſverſorum digitorum ſpatio infra priorem,ad retinendam ſc. cutim & muſculos ſubjectos; dein idem Cultro falciformi (*Num. d.*) cum omni dexteritate quàm celerrimè cutim muſculos & perioſtium circulari ductu incidit, mox cum Scalpello myrtiformi (*Num. e.*) quod prima illa inciſione forte relictum eſt,inprimis perioſtium diligenter ſeparat, retractaque carne tùm à ſuperiore, tum ab inferiore parte Serra Oſſi adigitur, hocque paucis actibus quàm poteſt fieri velociſſimè reſecatur, eam obſervando cautelam diligenter, quò minus inæquali ſerræ ductu l. motu os ſpinam aliquam relinquat, aut rumpatur potius, quàm diſcindatur aptè. Reſecto membro nonnihil relaxatâ Ligaturâ (*Tourniquet*) cùm de induſtria aliquantum ſanguinis dimiſſum fuerit, Volſellæ beneficio arripiantur majorum Arteriarum vaſa, atque ocyùs & quàm licet dexterrimè ſericeo funiculo ligentur, & conſtringantur. Quod ſi forſan opus cum Volſellis non promptè ſuccedat, tunc duæ Acus curvæ uno eodemque filo inſtructæ per carnem circa truncos Vaſorum (evitando Nervorum corpora) trajiciantur, ſicque interjecta compreſſâ una cum carne Vaſa conſtringantur, qualem certè methodum ceu probatiſſimam in Lentzburgenſi noſocomio omnino exercuimus feliciter, ut & eandem in Xenodochiis Aroviæ & Bruck ſæpiùs adminiſtrare vidi. Ut adeò Vitrioli fruſtis vel nunquam, vel rariſſimè ſit opus, quæ alioquî ſuſpecti uſûs eſſe cenſentur. Quod dein ſupereſt Deligationis

nis opus, eum in modum peragitur, ut conſtrictis ſingulis Vaſorum truncis compreſſa quædam Liquore ſpirituoſo & aromatico turgida imponatur, ſic etiam alia Oſſi nudo, tunc majus ſplenium (*Num. l.*) toti trunco, hinc Veſica pulvere ſtyptico referta, Emplaſtrum, tunc Faſciæ aliæ atque aliæ, dum totus truncus commodè & ſecundum artem ſit munitus. Jam Æger lecto eſt tradendus, Diæta tenuiſſima imperanda, tranſpiratio liberrima conſervanda, & à quibuſdam miniſtris alternam operam facientibus in æquabili & congruo ſitu truncus detinendus, juxta & vigilandum, ſi quid accidentium intercedat, quò his in tempore ſuccurratur. Alioquî non aperiendus truncus niſi poſt 2. 3. 4. aut 5. dies, ſaltem ſi neceſſitas id non poſtulaverit. Febri intra 12. horas ſuccedenti per V.S. hinc diaphoretica & Diætæ tenuitatem ſuccurratur. Secunda Deligatio ſit provida & prudens, ne Hæmorrhagiæ fiat recidiva, ſeu nova Vaſorum ruptura, cautè removeantur omnia, & remotâ Veſicâ cætera eodem modo applicentur, ſicque artis lege hoc Vulnus per ſuppurantia, mundificantia, & conſolidantia curetur. Quòd verò attinet poſtremum illud officium, quo jubetur Chirurgus reſarcire quantum licet ipſum membrum ablatum, ei quidem diverſimodè hinc atque illinc ſatisfaciunt, lignum præſertim æmulo naturæ modo figurando, hinc coriis, lanâ molli &c. muniendo, quâ parte cum trunco membrum eſt copulandum. In qua quidem artis ope plurimum intereſt, ut factitium illud Membrum non ſolum figurâ, ſed etiam pondere &c. naturale alterum æmuletur. De qua re licet alii fuſiùs agendum cenſuerint, ego tamen prolixior non ero; nullus interim dubitans, quin *ingenioſiſſimus noſter Mechanicus, Johannes Maritz Caſtrovillanus,* ejuſmodi machinamentis novas uſque inventiones in majus truncati commodum ſuperaddere poſſet; ut dolendum ſit Virum in re mechanica tantum domi inter mortuos quaſi deliteſcere. Tantum de Morbis Præliantium externis.

Finis Partis Primæ.

DISSERTATIONIS MEDICÆ
PARS POSTERIOR
DE
MORBIS PRÆLIANTIUM INTERNIS.

THESIS I.

NIhil ſanè in ampliſſima rerum natura eſt certius, quàm Corpus humanum mirificam variarum partium machinam & plenum myſteriis Automaton eſſe, ex immenſâ & mirabili ſubtilium Vaſorum congerie, & divinâ manu digno prorſus artificio conſtructum, & ita in varia organa formatum, ut hæc à Liquoribus intus agitantibus moveri, eoſdemque viciſſim movere poſſint, quâ mediante convenienti eorum diſpoſitione determinati in corpore motus & omnes fiunt actiones, & quâ ſublatâ omnis perit Machinæ animalis ornatus, & ſpectabilis pulchritudo. Sed quantum Martis ſævitia in nobiliſſimam iſtam machinam mille diverſis caſibus graſſari ſoleat, jam dum circa externos affectus in præcedenti parte exaratum eſt, ut nihil ſuperſit, quam circa internos Militantium morbos eandem pertexere operam. Cùm verò de omnibus & ſingulis ſpeciatim tractare, quorum utpote immenſus eſt numerus, Diſſertationis limites non permittant, præcipuos ſolummodò

Exordium partis ſecundæ.

 eorum

eorum recenſere eſt animus, utputà *Febres caſtrenſes, Phthiſin, Dyſenteriam, Luem Veneream, Palpitationem Cordis, Phthiriaſin* & *Noſtalgiam,* quos quidem affectus promiſcuè in Caſtris helveticis frequentes fuiſſe obſervavi.

Febres caſtrenſes. II. Inter Morbos itaque Præliantium internos primò nobis occurrunt omnis generis *Febres.* Quòd autem Febris ex omnibus morbis apud Præliantes ſit communiſſima, id ipſemet ſuo ævo *Hippocrates Libr. de Flatibus, Num.* 1. approbavit, dum quippe, inquit, Febris licet familiariſſima, potiſſimùm tamen ſaginat noſtra cœmeteria, & Caſtra depopulatur. *Febrium* quanquam varias liceret obſervare ſpecies, *Ephemeras, Synochos, Ardentes, Inflammatorias, Malignas, Lentas*, *Hecticas*, nec non omnis generis *Intermittentes*, tamen cùm inſtituti ratio de iis omnibus & ſingulis agere non ferat, præcipuè tantùm de malignis quædam commentabor, ex quarum recenſione atque curatione cæterarum omnium theoria praxiſque ultrò, ut opinor, innoteſcent. Si quidem exiſtimamus Febrium ferè omnium, quaſcunque demum in ſpecies diſpeſcantur, eſſentiam eſſe eandem, ac in turbatâ ſ. confuſâ Sanguinis mixturâ, cùm videl. corpuſculorum conſtituentium magnitudo, figura, ordo, ſitus atque motus naturalis invertitur, & amicabile illorum inter ſe vinculum læditur, conſiſtere. Unde generaliter cum laſſitudine, ſiti, appetitu projecto, æſtu corporis, pulſu celeri & frequenti, aliiſque ſymptomatibus plus minus gravibus hominem affligunt; ut in eo tantum ſuperſit diverſitas, quod aliæ aliis magis minuſve acutæ, benignæ vel malignæ, continuæ vel intermittentes, recentes vel inveteratæ, primariæ vel ſymptomaticæ exiſtant. Quòd ſi ex innumeris affectuum myriadibus ſunt, qui frequenter ac citiſſimè Præliantibus interitum minantur, certè *Febres* ſunt *malignæ,* nullo non tempore ob innumeros, qui quotidiè committuntur errores, & tolerantur injuriæ, in Caſtra tanquam dirus hoſtis irrumpentes, ibique ſæpius communi furore & horrendâ ſtrage graſſantes, ſæpius longè plures, quam armatiſſimus hoſtis neci tradentes. Febres autem hæ acutæ continuæ

tinuæ plerumque Militem invadunt cum horripilationibus & frigore, cui proximè ſuccedit inſignis & continuus, ſed verſus veſperam communiter increſcens Æſtus, cum laſſitudine artuum ſummâ, præcordiorum anxietate vel anguſtia, appetitûs dejectione, ſiti utplurimùm intenſâ, fereque inextinguibili, cephalalgia, ſomno vel nullo, vel valdè interrupto, quibus communioribus ſymptomatibus junguntur interdum adhuc alia ſpecialiora, quorum pro varietate diverſa hæ Febres nanciſci nomina ſolent: v. gr. ſi anginodes accedit gutturis inflammatio atque vehemens delirium, affectus appellabitur *Angina, Phrenitis,* aut *Lues Hungarica caſtrenſis*, eò quod olim inter milites in Hungaria conductos poſt commiſſos plurimos diæteticos errores feraliter graſſaretur. Quod ſi verô vel ſtatim in principio, vel die ſecundo, tertiove Dolor punctorius lateris ſeſe exſerit, cum tuſſi ac ſputi rubentis aut flavi excretione, tùm affectus vocari *Pleuritis maligna* conſuevit. Ubi ſuperaccedunt Maculæ per totum corpus effloreſcentes, rubicundæ vel lividæ, Febris nuncupabitur *petechialis.* Quandò tandem in his aut illis ſubcutaneis glandulis tumores ſeſe produnt inſigniter liveſcentes vel nigricantes vocabitur *Febris peſtilens.* Atque in hiſce Febribus ferè omnibus Inflammationem partium internarum, quandoque etiam externarum obſervare licet, quæ in multis ab adhibitis medicamentis, vel naturæ robore ſolo diſſolvitur, in aliquibus modò citius, modò tardius in gangrænam aut ſphacelum fatiſcit, ut hinc ipſi tragœdiæ mors dira colophonem imponat. Et hæ quidem omnes malignæ Febreos ſpecies nonniſi gradu turbationis majore vel minore inter ſe differunt, pro diverſitate ſc. graduali malignitatis cauſarum morbificarum, humoralem maſſam non ſolùm inquinantium, turbantium, ſed inſuper nunc magis nunc minus diſſolventium. Ab aliis in principio Febribus vix ſunt dignoſcibiles hæ malignæ caſtrenſes, hancque διαγνώσεως difficultatem non parùm auget, quod novâ plerumque facie & ſub alio atque alio Symptomatum ſchemate recurrant, unde circumſpecto Medico Caſtrenſi ſingula etiam

minima phænomena eo accuratiùs perpendenda, ne ſuâ culpâ curandi occaſionem negligat. Quòd ſi verò Aëris inſignes fiant mutationes, quæ tanquam cauſa & ſignum imminentiumMorborum popularium ab ipſo etiam *Hippocrate* proferuntur, tunc ſuſpicio epidemiæ ſemper haberi poterit. Ex.gr.Calore extremo,vel frigore immodicoAërem ſubſtantiæ & qualitatum mutationem ſubire admittent omnes, qui æſtate calidiſſima & hyeme acerbiſſimâ ejuſmodi Febres & ipſam adeò Peſtem graviſſimè ſæviiſſe conſiderant. Quanquàm verò quævis Aëris pravæ conſtitutiones ſimiliter aptæ ſint ad Febrium harum generationem, omnium tamen conſtitutionum ad producendos morbos malignos potentiſſima eſſe videtur humida. Unde ipſe *Hippocr. Libr.* 3. *Epid. ſect.* 3. memorabile hujus rei exemplum proponit de Peſte illâ graſſante tempore Belli Peloponneſiaci, quæ à Thucydide major vocatur, quàm ut exprimi, & acerbior, quàm ut humanâ naturâ tolerari poſſet; adjunxit verò *accidiſſe Annum auſtrinum & pluvioſum.* Eademque Aëris conſtitutione humidâ Febres purpuratas Anno 1528. apparuiſſe tradit *Fracaſtor. Lib.* 2. *de Morb. contagioſ. cap.* 7. Infeſtus porrò militantibus fit Aër, ſi ventis ſuavibus & ſalubribus ejus impuritates diſcutientibus non agitetur, unde ſicuti Aquæ ni moveantur corrumpuntur, facilè putreſcit, & Machinæ nobilis humores circulantes inquinat, præſertim quando Milites caſtra ponentes alvi ſordes ex hominibus, brutisque, ut & mactatorum pecorum cruorem cum interaneis, vel prælio cœſorum cadavera inhumata relinquunt, aut non ita procul à tabernaculis negligenter projiciunt; cujus memorabilem in fine hujus Diſſertationis obſervationem annectam. Item ſi tetri & maligni Vapores Aëri permiſceantur, qualia miaſmata ex aquis lacuſtribus & ſtagnantibus, ex Viſceribus Terræ, ex Specubus viroſis, plantis corruptis &c. efferri aëremque ita corrumpere ſolent, ut admiſſus intra corpus, & cum maſſæ humoralis particulis in actum deductus, malignam qualemcunque Febrem excitare valeat. Quibus accedit prægreſſa Victûs ratio, quando corrupta, ſemiputrida,

ac

ac inſuper, prout in Militum caſtris contingere ſolet, vermiculorum ovulis conſpurcata, aliaque inconſueta propter rerum inopiam in cibum, Aquæ verò ſtagnantes, paludoſæ, ovulis inſectorum ſimiliter ſcatentes in potum veniunt. Accedit intemperantia adeo familiaris, exercitationes corporis immodicæ, vel otium & deſidia, vigiliæ protractæ, ſomnus inordinatus, Animi pathemata frequentiſſima, veſut Ira, Terror, Mœror, trepidatio apud recens conſcriptos ex hoſtis conſpectû, & nullæ non injuriæ, ex quibus omnibus concurrentibus non poſſunt non Humores in Corpore pravi generari, qui qualitate ſua nunc acido-acri-corroſivâ, nunc putreſcente ac verminoſâ prorſus in maſſâ humorali ad turgeſcentiam uſque collecti, & in motum (datâ ulteriori occaſione) præternaturalem ſuſcitati, Febrim malignam accendere, œconomiam corporis plurimum turbare, ſubinde ipſius maſſæ humoralis diſſolutionem intentare ſolent. Hinc morbo hoc maligno jam dum correpti ad commilitones inevitabili commercio Luem hanc traducunt, & ſanos de cœtero infeſtando per Caſtra aliquando tota affectum propagant. Nec levem hujus hydræ lerneæ ſuſpicionem ſuppeditare poteſt, quandò morbi aliàs conſueti malignitatis aliquid oſtendunt, uti *Dyſenteriæ malignæ* prodromum agebant illius Febreos malignæ, *Argentoratum & ejus Viciniam* ante 40. annos infeſtantis. Quod ſi tandem alii iiſdem in Caſtris Febre eâdem decumbant, tunc ſuſpicari ſemper licebit, ſimili morbo & hunc affici, quandò febrilis inſultus ipſum prehendit. *Alia Diagnoſeos momenta.*

Prognoſis hujus morbi adeò incerta eſt, ut de ejus eventu nihil ſolidè poſſit conſtitui, donec manifeſta victoriæ alterius, naturæ vel morbi indicia appareant, & quemadmodum aliàs morborum acutorum non omninò certæ ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſalutis, juxta *Hippocr. Sect. 2. Aph.* 19. ita neque in hâc Lue eas quàm maximè conſtare quotidianâ experientiâ declarat. Quùm adeò incerta igitur ſint mali hujus crudeliſſimi ſigna, ex quibus ejus eventum prædicere liceret, hinc conſultum eſt, *Prognoſis.*

ut

ut Medici in πϱογνώσει ſint cautiſſimi, nunquam temerè de eventu ſententiam laturi, præſertim ubi ſigna apparenter etiam optima in diro hoc morbo adeo ſint fallacia, ut paulò poſt ſæpius inopina mors ſequatur. Unde iterùm *Hippocr. Sect.* 2. *Aph.* 27. non abs re monet, *quæ non cum ratione ſublevant, iis non oportet fidere.* Ac iterum: *Pulſus bonus, Urina bona & æger moritur.*

Curatio abſolvitur Tribus indicationibus.

Curatio hujus affectûs periculoſi minimè procraſtinanda, ne virus eundo acquirat vires. Ea verò medendi methodus eſt obſervanda in profligando hoc morbo, partim ut attendas ad primas vias, partim ad naturam & vim humoris in ſanguine peccantis, partim denique ad Symptomata, omnibus ita circumſpectè proſpiciendo, ut unâ fideliâ duos dealbare poſſis parietes, ſic ut morbi vires quantocyùs frangantur, ipſaque natura felicem mox victoriam reportet. Prima itaque morbi die vel etiam ſecunda, ſi nauſea magna adeſt, cum cardialgia, oris amarore, ſimilibusque ſymptomatibus, quæ cruditates primarum viarum indicant, exhibere licet *Vomitorium,* (niſi adſit aliquod inſigne contra indicans) ex *Rad. Ypecacuanh. Syr. emet. Salæ, Tartaro emet. Lud. Merc. vitæ corr.* aut ſimilibus ritè dilatatis ac permixtis, nunc mitioribus, nunc mediocribus, nunc etiam neceſſitate id exigente fortioribus. En formulam mediocris efficaciæ:

Primæ Indicationi ſatisfit.

℞. *Rad. Ypecac.* ℥ß.
Tart. emet. L. gr. j.
Crem. Tart. ℈ß.
Miſce f. Pulv. ſ. d. ad ch. pro doſi.

Potio dein Alexipharmaco-diaphoretica eſt propinanda, ſæpius quidem repetendo, ex *Electuar. diaſcord. Fracaſt. Mitrid. Damocr. Antimon. diaphor. Oc. cancr. præparat. Bez. min. Terr. ſigill. &c. Aqua ſcabioſ. Burſ. Paſt. Fumar. Calend. Card. benedict. Borrag.* &c. A *Catharticis* ſtudioſè caveatur, quicquid etiam alii in contrarium regerant, quoniam utique majores in Sanguine turbas excitant, & Febrim exacerbant plurimum. Ubi autem nullus neque *Emetico* eſt locus, alvuſque

vuſque tamen eſt ſegnior, tunc *Clyſtere* eccoprotico primas eluere vias oportet, idque ſtatim in principio, repetitis ſi videatur vicibus. Nimirum ex *Rad. Alth. Lil. alb. Vincetox. HB. 5. emoll. Salv. Meliſſ. Calam. Chamom. Fl. Sambuc. Melilot. Calendul. Sem. Fænigr. Lini, Cumini* &c. cum Juſculo vel Lacte decoctis poſtmodum addendo *Oleum roſac. rutac. Mel. Viol. Sal. Gemm.* &c. Quibus peractis *Galli* & *Itali cum Cl. Th. Sydenham* aliiſque ad Venæſectiones devenire ſolent, eaſque ſæpius intra triduum vel quatriduum iterandas. An verò hæc concedenda ſit? acerrimè inter ſe digladiantur artis medicæ proceres, quorum tamen quidam majore bile, quàm argumentorum vi ſententias exagitant ſuas; nos mediâ incedimus viâ, *Venæſectionem* promiſcuè neque approbantes, neque rejicientes, quid faciendum ſit, ex Ægrorum conſuetudine & circumſtantiis præſentibus collecturi. *Venam ſecamus*, non tam ratione febreos, quàm ſanguinis forte præſentis copiæ, ſeu plethoræ frequenter Febri conjunctæ, præſertim in junioribus. Cujus quidem ergò ſanguis mittendus haud cunctanter, ut reliquum mole minorem Vaſa arterioſa & venoſa eò meliùs gubernare poſſint. Medici poſt hæc cura ſit defixa in infringendo atque debellando morbi Veneno, turbatione ſanguinis tollenda, diſſolutione ejus præcavenda, particulis heterogeneis ſegregandis, ſicque inæquabili Humoribus conſiſtentiâ & motû reddendo. Ad quem ſcopum obtinendum, noctu diuque adminiſtranda ſunt *Alexipharmaca* atque blanda *Diaphoretica*, quæ ut omnem implent paginam, ſic etiam ſymptomatibus urgentioribus hinc illinc non parùm ſatisfaciunt. Talia ſunt ex. gr. *Electuar. diaſcord. Fracaſt. Mitridat. Damocrat. Theriac. Andr. Elect. orviet. Pulvis Viperar. bezoard. Sennert. pannon. rub. Bezord. min. Joviale, Diaphoret. magnum Fabri, antipeſtiferum Frid. Hoffmanni, Ant. Diaph. Eb. ppt. C. C. pph. ppt. Terr. ſigill. Chryſtall. alb. præparat. Nitr. antimoniat. Lap. prunell. Mater perl.* &c. quibus accedunt *Cinnabarina, Spir. Nitri volatilis, Sulphuris acid. C. C. Ebor. Sal. armoniaci ſimpl. & urinoſ. Sal. volatile Viperar. Serpentum, Lumbric. Sal. eſſ. Acetoſ.*

Rubidæi, Tinct. Bezoard. Mixtur. ſimpl. Lud. adde & jure merito cum *Doctiſſ. Screta Tr. de Feb. Caſtr. Caſuram*, tanquam excellentiſſimum Sal volatile oleoſum aromaticum; qualia quidem optimè cum *Aquis deſtillatis Succiſæ, Scabioſ. Card. bened. fl. Sambuc. Cheref. Cichor. Taraxac. Ulmar. &c. miſcentur* & *Syr. Citr. Rub. id.* aut ſimili edulcorata propinari poſſunt vel etiam in forma *Pulveris, Emulſ. Eſſentiæ, Electuarii, &c.* exhiberi poterunt. Hûc etiam illa pertinent, quæ propter Salis volatilis terreſtreitati inhærentis copiam putredinem vehementer arcent, ſudoremque vi ſua penetranti procurant, ut ſunt *Gentiana, Zedoaria, Zingiber, Myrrh. Nuces immaturæ, Fumaria, Card. benedictus, Scabioſ. Cent. minus*, &c. ex his *Herbis deſtillatæ aquæ*, vel è cineribus producta *Salia*. Item quæ propter Sal volat. oleoſum virtute aperiendi & penetrandi ſuperbiunt, velut *Angelica, Valeriana, Roſmarinus, Amaracus, Dictamnus* creticus, *Serpillum, Thymus, Calaminth. Cortices pomi citrei* & *aurei, Semen fœn. aniſ. ſeſelios, grana Juniperi, Cinnamomum, Cortex Winteranus, Kinkinna celebre antepyreticum, Caryophylli, Nux moſchat. Crocus, Macer*, ut ſexcenta alia prætermittam. Ex modo recenſitis medicamentis *Nathanaël Hodges in ſua Loimologia, ſive Peſtis nuperæ Londini graſſantis narratione hiſtorica, Sect.* 7. *Zingiber* miris laudibus extollit, & quomodo pulvis ejus ad ſudandum, Conditura verò tanquam prophylacticum in peſte conducat, fuſiùs pertractat. *Pulvis ille Anglicus* ex *Chelis Cancrorum paratus* apud plures pro magno arcano venditur, qui ſequens eſt.

℞. *Margarit. ppt. Oc. Cancr. Corall. rubr.*
Succin. albiſſ. C. C. Lap. bez. orient. ana ℥ß.
Pulv. ex apicibus nigris
Chelar. Cancr. ad pondus omnium.
Miſce f. Pulv. ſubt. d. ad Ch.

Sequenti *Pulvere diaphoretico* ad Febrim malignam expellendam, ſummo cum Ægrorum levamine pluribus abhinc an-

nis;

nis uſus fuit *Henricus Screta Medicus ille celeberrim. Scaphuſienſis.*

℞. *Antimonii diaph.* ℥iij.
Bezoard. miner. C. C. philoſ. ppt. ana ℥j.
Miſce fiat Pulv. ſubt. de quo pro qualibet doſi mediæ ætatis propinanda ʒß. *cum ſequenti vehiculo.*

℞. *Aqua Card. bened. Scabioſ. Fumar. ana* ℥ij.
Syr. Rub. idæi, aut è ſucco citri ℥ij.
Miſce ad Vitrum.

Unde ſudorem ægrô probè ſtragulis coopertô exſpectavit. Hiſce tamen ſemper interpolanda ſunt *Nitroſa*, quæ nimiam ſanguinis ebullitionem refrænare, veneni vim infringere egregioque ſtratagemate conatum naturæ in expellendo Veneno adjuvare valent. Sunt autem præſtantiſſima *Lapis prunellæ, Nitrum antimoniat. perlatum*, eidem quoque fini inſerviunt *Acida*, quæ tàm præſervatoriè, quàm curatoriè exhiberi poſſunt, *Succus citri rec. Syr. acetoſ. citr. Acetum ſimpl. vel deſtillatum, Acetum rutæ, ſcordii, Sambuci, theriacalis, Aqua prophylact. Sylvii.* Pauperioribus *Cochleare unum Roob Sambuc,* aut *Juniperi* cum *Aquæ fontan.* & *Aceti probi cochlearibus duobus in potiunculam redigere poſſumus; vel Pulv. pyrii* ʒij. & *Sulphuris nativi* ʒj. *vel Pulveris* Card. *bened. vel Rad. Gentian. fraxinellæ, angelic. petaſitid.* &c. *cochleare unum*, cum vel abſque *Roob ſambuci* in *Aqua fontan.* propinetur, & ſudor inde exſpectetur. In extremo neceſſitatis caſu, ſummaque remediorum penuriâ *Sulphuris Citrini* triti, vel *Nitri depurati* vel etiam *Salis comm.* ʒij. *Boli rubri* ʒj. *Roob ſambuci, Aceto & Aquæ commixta conferunt.* Hiſce & ſimilibus remediis ſemper per aliquot dies utendum, ac inde ſudor, & ſymptomatum aliqua remiſſio exſpectanda.

Hactenus recenſita remedia Febrem ipſam ejuſque curationem ſpectant, dantur tamen adhuc varia accidentia, *Symptomatum curatio.* quæ ſui mitigationem l. ablationem indicant, ex quibus præcipua ſunt *Sitis, Cephalalgia, Deliria, Somnolentia, Vigiliæ,*

M 2 *Linguæ*

Linguæ ariditas, Angina, Convulſiones, Pleuritis, Vomitio enormis, *Dyſenteria, Bubones, Alvi conſtipatio.*

Sitis. *Sitim intenſam* reſtinguere poteſt *Ordin. Decoctum*, ex *Hordeo, C. C. uſt. l. raſpat. Rad. liquirit. Acetoſ. Scorzon. HB. Agrimon. fl. roſ. rubr. Bell. min. Viol. ſem. coriandr. Aquileg. Fœnic. Aniſi. paſſul. min.* &c. cui pro lubitu aliquid pro grato ſapore de *Lapide prunell. Succo citri, Rob ribium, Berberum, Syr. acetoſ. citri, Cydonior. Granator. Rub. idæi* immiſcere licet, nec etiam omittenda eſt *Gelatina C. C.* utpote quæ ad temperandam ſanguinis acrimoniam, ejuſque æſtum infringendum laudatiſſimi eſt uſûs. In Siti intenſiſſima abſente Diarrhœa, *Nitrum præparat. Nitrum vitriolat. l. pulvis pyrius* in *aqua ſolutus, aut extemporalis potus è pomis Citreis recentibus ac* Sacch*aro cum Aqua paratus ferè omnibus aliis liquoribus ob ſuavem acorem & ſummam fragrantiam palmam præripit.*

℞. *Aquæ fontan.* ℔ *iv.* cui infunde radula detritum *Corticem flavum pomi citri majoris ſucculenti, dein diſciſſo pomo manu ſuccum fortiter expreſſum Aquæ inſtilla,* addendo *Sacchari integri* ℥ *ij. vel iij.* & egregium ad ſitim ſedandam habebis potum. Largiter autem bibent, & potus ſufficiens quod quidem multis ſolenne eſt, non denegetur, crudele enim eſt Ægro igne febrili & maligno undiquaque repleto potum retrahere, qui ſæpius plus quàm centum aquæ perlatæ & confortantes præſtat. Multis ſequ. Julepum conduxiſſe memini:

℞. *Aqu. font.* ℔ *j.*
Syr. Viol.
Rub. id. ana ℥ *iß.*
Succ. Citr. rec. ℥ *j.*
Spir. Vitrioli dulc.
q. ſ.
F. Julepus pro aliquot doſibus.

Cephalalgia. Si *Cephalalgia* magna adfuerit, *Epithemata* fronti applicabuntur. Ex. gr. ex *Amygdalis amar. Sem. Peponum decorticat. Papav. alb.* cum *aqua Betonic. Verben. f. l. a. Emulſ. cui adde Aquæ Roſ. fragrantis, Aceti rutacei* ℥ *j Nitri puri* ʒ *ij. Ca-*

furæ

ſuræ & *Croc. orient. ana* ℈ß. Hoc emulſo tepefacta lintea rara imbuuntur, fronti atque temporibus mox applicantur. Alioquî propinetur frequenter *Infuſum fol. Thée Beton. Sanic. cum pulvere quodam alexipharmaco, vel ſpecif. cephalico Michaëlis.* Capilli capitis deradentur, *Veſicatoria* pro re natâ in uſum trahentur.

Quandò verò tales Ægroti intenſiùs Deliriis aut Phrenitide vexantur, præter diligentem *Epithematum* applicationem commendamus *pulveres camphoratos* ſequentes: Deliriorum.

℞. *Pulv. ponnon. rubr.* ℈ij.
Nitri antimoniat.
Bezoard. min.
Sacchar. roſ. tabell. ana ℈j.
Camphor. gr. viij.

M. f. Pulv. ſubt. in 4. doſ. æq. ad Ch. man. & veſp. ſumendas.

℞. *Antimonii Diaph.* ℈ij.
Lapid. prunell. ʒß.
Cinnab. Antimonii corr. ℈ß.
Camphor. gr. viij.
Sacchar. perlat. ℈ß.

M. f. Pulvis ſubt. in 4. doſ. æq. ad Ch. div. atque cum Emulſione quâdam ex ſuperioribus combinata vel Ptiſanâ dandas.

Veſicatoria in hiſce caſibus planè rejicimus, quanquam ſint, qui eorum ope iiſdem mederi poſſe ſibi perſuadeant, quoniam *Cantharides*, è quibus veſicatoria parantur, acri atque penetrantiſſimo gaudent Sale, & maſſam ſanguineam nimis agitando malum potius augent, quàm imminuunt. Imò delirantes abuſu Veſicantium plures mortuos quàm ſanatos eſſe obſervavit *Baglivus.*

Si *Somnolentia* ægrum teneat continua, ſuperiùs dictis *Diaphoreticis fixioribus volatilia* veniunt adjungenda, ex. gr. *Spir. Corn. Cerv. Viperar. Lumbr. terreſtr. Ebor. Tinctura Caſtor. cum Spiritu Salis armoniaci parata, Liq. C. C. ſuccin. &c.* Externè capilli capitis deradantur, & *Epithe-* Somnolentia nimia.

themata ex iiſdem *volatilibus Liq.* cum *Aq. major. roriſm. linteis except. ſæpius imponantur.* Naribus quoque *Spir. Sal. armoniaci, Fuligin.* admoveatur. Somnolentia continuante prorſus ad *Veſicatoriorum* applicationem eſt deveniendum.

Vigiliarum. Ubi Ægri *Vigilias* moleſtè ferunt, id quod plerumque in augmento morbi accidit, tunc ad illas abigendas commendata habemus præter *Pulveres camphoratos* recenſitos, & *Emulſiones refrigerantes* Epithemata. Lintea ex. gr. in *Spir. C. C.* madefacta, ac capiti impoſita. *Opiata* verò minus ſunt tuta, cùm ea præſertim in ſubjectis, ubi vires jam ſunt oppreſſæ, ſæpiſſimè paucos Spirituum manipulos opprimendo mortem accelerent.

Linguæ ariditatis, ſcabrities, ſciſſura. *Linguæ ariditas, ſcabrities, ardor* & *ſciſſura* emendatur remediis non quidem acribus & aromaticis, ſed mitioribus, quæ inter maximè proſunt ſequentia; in *forma quidem Gargariſmatis - folia Plantag. Nummular. Althææ, Prunell. Malv. ſcabioſ. ſempervivi* majoris, *fl. malv. hortenſ. Verbaſc. ſem. Aniſ. Ficus ping. Hord. mundat. Cancr. fluviatil. viv. Syr. Cydon. Granat. acid.* de *Sempervivo, Viol. purpur.* de *Jujub. Portulac. Roob Dianuc, Sambuci, Mell. roſac. Viol.* ex quibus etiam linctus emollientes atque lubricantes præſcribere poſſumus; in Caſtris nobis uſitatum fuit Gargariſma ex *Hordei Cremore, Succ. rapar. Mucil. ſem. Cydon. Sacchari pauxillo & Lacte tepido:* vel *Lapis prunell.* aquâ rubrâ ad fauces, vel aquâ ſimpl. calente ſolvitur, cui additur *Mucilago Gumm.* Tragac. aut *Sem. Cydon. Aq. malvæ extracta* cum *Syr. acetoſ. citri l. acetoſell.* & lingua arida æſtuansque, hâc mixturâ creberrimè illinitur. Ejuſmodi Linguæ ſciſſuram

Obſervatio. ex Febri identidem malignâ funeſtam in Genevenſi quodam ex Bernatum militibus obſervare mihi licuit, quæ ſcilicet inſeneſcens in incorrigibile Ulcus cum faucium & palati tumore ardore atque inflammatione denegerabat, unde Æger adhibitis licèt generoſiſſimis remediis, liberari amplius non poterat, tandemque miſerè mortuus eſt. Quo exemplo, meo judicio quidem verificatum fuit *Hippocratis* effatum

effatum *Sect.* 8. *aph.* 4. *Siquidem in eo tempore ægrotet aliquis, cum tempus ipſum unà cum morbo impugnat, lethale ferè eſt ſemper.* Erat enim tunc *Æſtas ſumma.* Iiſdem quoque remediis pro re nata variatis corrigitur (præmiſſa tamen ſectione raninarum venarum) Faucium ardor, Inflammatio & Angina. *Anginæ.*

Accedentibus *Convulſionibus* eadem quoque, quæ in Deliriis & Phrenitide commendavimus, remedia proſunt. Magis tamen appropriata æſtimamus, extus Naribus admotas *Pennas accenſas, l. Spir. Salis armoniaci urinoſ. Liq. C. C. ſuccin.* &c. nec non *Epithemata* fronti, carpis manuum, plantisque pedum, *Balſama* verò temporibus adminiſtrata; intus verò ſequentem aut ſimilem mixturam alexipharmaco-antiſpaſmodicam, ſi cochleatim propinetur. *Convulſionum.*

℞. *Aqu. fl. Til.*
omn.
Pæon. ana ℥j.
card. off. ℥ij.
Syr. anod. ℥ß.
Acet. Citr. ʒij.
Conf. alkerm. ʒj.
Eſſent. Caſtor. ʒß.
Ant. diaph.
Bez. min.
Cinnab. Antim. corr.
ana ℈ß.
M. d. ad V.

Exemplum *Convulſionum febrilium* funeſtum mihi obſervare contigit in Lentzburgenſi Xenodochio: aliquis nempe Miles ex Genevenſium copiis laborabat Febri maligna cum ſiniſtri lateris dolore acutiſſimo, cui, etiamſi omni cum circumſpectione ab *Experientiſſ. & Doctiſſ. Dn. Knecht Bernatum copiarum Medico Ordin. Meritiſſ.* tractaretur, nihilominus ex improviſo *Convulſiones* ſupervenerunt, ita ut abdomen in altum torqueretur, caput interim pedesque poſteriùs ferè jungerentur, quæ *Convulſionum ſpecies* Eruditis *Obſervatio.*

Opiſtho-

Opiſthotonos audiens tragœdiæ colophonem paucas intra horas ſuperaddidit, Ægrumque vitâ miſerè privavit.

Pleuritidis & Peripneumoniæ febrilis.

Ubi accedit *Pleuritis l. Peripneumonia*, intùs quidem omnia conveniunt *Diaphoretica*, ſed palmam aliis tamen præripiunt ſeqq. *Mixtura ſimpl. Dan. Lud. Spir. theriacalis, Tinctura Bezoard. Lud. Spir.* C. C. *Sal volatile* C. C. *Spiritus & flores Salis armoniaci* & ejuſmodi plura, vel per ſe, vel cùm aliis *Alexipharmacis* præſertim fixioribus alcalinis ſupra recenſitis juncta. *Becchica* interim intermiſcendo diligenter, velut *Oxymel ſquillit. Ol. Amygd. dulc. Looch ſani & expert.* de *pulm. Vulp. Syr. de Symphyt. Fern. Eryſim. Lobel. Syr. Liquirit. Tuſſilag. Bellid. min. Aqu. deſtillat.* ex *Herbis pectoralibus.* Sequens *Mixtura* igitur miram opem præſtabit:

℞. *Aqua Veron.*
Fumar.
Scabioſ.
Hyſſopi ana ℥j.
Syr. aperit. Mind.
Bellid. min. ana ʒvj.
Conf. alk. inc.
Tinct. bez. ana ʒj.
Ant. Diaph. Bezoard. min. ana ℈ij.

Miſc. d. ad Vitr. ut ſingulis horis cochleare plenum propinetur.

Externè interim convenit locum affectum linteis calidiſſimis fricare, vel *Sacculos Baccis Juniperi Sem. Avenæ, Milii, Cicerum, Cumini, Carvi, Aniſi, Fœniculi, Aneth. Rad. Imperat. Valerian. Cyperi, Herbis ſiccis Matricar. Ment. - Meliſſ. Thym. Majoran. Aneth. Chamomill. Abſynth.* &c. promiſcuè *repletos, nunc ſiccè nunc Vino priùs incoctos calidiſſimè applicare.* Antea etiam locus *Spiritû Vini camphorato, aliove nervino diſcutiente calidè lavari,* vel *Oleo Chamom. Rutæ, deſtill. Bacc. Junip. Lauri, Spicæ, Succini*, &c. inungi cum fructu poteſt. Olim tanquam ſecretiſſimum Euporiſton habitum fuit *Stercoris caballini ſuccus* expreſſus epotus & per ſudorem iterum expulſus. Longè tamen majorem nobis pollicetur efficaciam

caciam *deſtillatum Hippent.* ab *Hoſpite meo longè celeberrimo* inventum, & cum intermixtis Diaphoreticis exhibitum. Cujus præparatio orb. lit. expoſuit nuper admodum *Nobil. atquè Litteratiſſ. Candid. Mieg, in Diſſert. & Examine de Plantis Naſturcinis.*

In *Vomitione nimiâ* conveniunt jam allata, præſertim fixa alcalina, ut *Antimonium diaphoret. C. C. uſt. Specif. ſtomach. pot. Sal Abſynth. Cichor. &c. anaticâ portione in pulverem redacta*, vel *Theriaca Andr. Mitridatium Damocratis, Elect. Diaſc. orviet. Pilulæ bezoardic. Anodynæ regiæ ſequentis compoſitionis:* *Vomitionis febrilis cura.*

℞. *Eſſentiæ Opii Langelotti* ℥j.
Cinnabar. antimon. purificat.
Unic. foſſ. albiſſ. ana ʒiij.
Croci orient. Sang. Drac. ver. ana ʒj.
Ambr. gryſ. gr. xvj.
Moſch. orient. gr. viij.
Ol. Cinnam. deſtillat. gutt. viij.
F. l. a. pill. ponder. gr. j. d. ad ſc.

Extùs ſtomachi regioni applicetur *Emplaſtr. de Cruſta panis cum Tacamahaca*, poſtquam prius *Balſamus peruvianus, Oleum Menthæ, Nuciſtæ* expreſſum &c. inunctum fuerit. *Vel Sacculi Abſynthio, Mentha, Salvia, Flor. Roſ. rubr. &c. repleti, Vinoq; incocti, & cordis ſcrobiculo calidè impoſiti* proſunt.

Alvi conſtipationi occurritur maximè hinc *Clyſteribus*, l. *Suppoſitoriis*, illinc *Syrupis laxandi* virtute imbutis, moderatè tamen, & non præter neceſſitatem uſurpatis. *Bubones* ſi retro aures, ſub axillis, aut alibi enaſcantur, & ſeſe prodant, omni arte maturandi veniunt medicamentis quæ ſupra circa Vulnera videri poſſunt. Quem in ſcopum aliàs pro ſpecifico atque præſtantiſſimo remedio *à Cl. Screta* deprædicatur *Emplaſtrum Nathanaëlis Hogdes, l. Magneticum Angeli Salæ*, cœteris non neglectis. Ad ſufficientiam uſque maturati aperiantur, Ulcera hinc facta detergeantur debitè, nunquam omiſſâ *Theriaca, Myrrhâ, Aloë, Croco, Camphora.* Atque tum demùm ad Cicatrizationem diſponantur ſecun- *Bubones ſanantur.*

 dum

dum noſtram circa Vulnera præſcriptam methodum.

Viribus favent *Juſcula optima*, & quævis ſic dicta *cordialia*; en *Mixturam præſtantem* :

℞. *Aqu. card. off. baſil.* ℥iv.
Syr. Rub. id.
fl. Tun.
Citr. ana ℥ij.
Conf. alk. inc. ℥iß.
Miſc. d. ad Vitr. ut cochleatim.

Diæta obſervanda. In Diæta præter *Juſcula* è *Carne bubula*, *gallinaceâ*, aliaque efficaciora conſumata, vix quicquam Ciborum æger aſſumat; in lecto compoſitè decumbat, ut ad ſudandum ſit paratiſſimus. Aër in conclavi vel cubiculo æquabilis ſit caloris, ſæpè ſuffimigiis purificatus. Vinum nonniſi in declinatione Morbi concedimus, ubi ſtomachus jam modicam ciborum quantitatem retinere poſſit. Animi pathemata cane pejus & angue vitentur.

Phthiſis. III. Nunc ſeſe offert *Phthiſis*, triſte intuentibus ſpectaculum, vivum nempe repræſentans *Sceleton* juxta verſiculum:

Oſſa tegit macies, nec juvat ora Cibus.

eſt enim Corporis totius paulatina contabeſcentia, cum Febri continua lenta, tuſſi, reſpirandique difficultate ſociata, à *Scirrho*, *Infarctu*, vel *Ulcere pulmonum* oriunda.

Cauſæ Phthiſin excitantes. Cauſæ proximæ hujus affectus ſunt infarctus, ſcirrhi, ulcus pulmonum &c. quæ læſiones viſcerales proficiſcuntur ex variis Diætæ erroribus, primò in chylum, dein ipſum Sanguinem, atque mox etiam Viſcera corrumpenda redundantibus. Hûc adeoque pertinent Liquoris gelidi perquàm athleticus hauſtus, præſertim poſt corporis totius incaleſcentiam, Spiritûs Vini vel ſimilium frequentes & largæ ingurgitationes, Aëris nimium frigidi inſpiratio, prægreſſæ Febres continuæ l. intermittentes, benignæ ſ. malignæ, Pleuritis, Hæmopthyſis, Variolæ, Ætas juvenilis juxta Hippocr. Conſtitutio corporis ab eod. depicta, pectus anguſtum, depreſſum, collum oblongum, ſcapulæ alatæ, hæreditaria pulmonum

num mollities, contuſiones, vulnera &c. quæ omnia Militibus noſtris ſunt familiariſſima. Accedit quod in Aëre etiam valde pulverulento verſari debeant, unde à materia terreſtri ſabuloſa, l. glutinoſo-craſſa ſenſim in pneumonicis veſiculis collecta, ſtagnante, exiccata, atque in dura tubercula abeunte facile ſibi infarctum pulmonalem acquirunt, qui dein Vaſa ſanguifera comprimendo ſanguinis circulatorium motum impedit, hic proin ſtagnare incipit, & ſui ſtagnatione in pus acriuſculum abiens pulmones corrumpit, exulcerat, erodit & horribilem affectum hectices producit.

Differentia Phthiſeos. Phthiſis autem diſtinguitur in *Incipientem*, quæ adhuc eſt in incunabulis ſuis, levibuſque hominem ſymptomatibus exercet; *Confirmatam*, quæ omnia Tabis, & Pulmonis violati ſigna; & *Deploratam*, ſummum tabeſcentiæ pneumonicæ gradum, in quo miſeri toti jam ferè conſumpti ſine ullâ reconvaleſcentiæ ſpe jacent, breviterque morituri ſunt. Solent & aliæ contabeſcentiæ hujus ſpecies ratione cauſarum, diuturnitatis mali, ætatis ægri, aliarumque circumſtantiarum ab Eruditis proferri, quas brevitatis cauſâ nunc haud prolixiùs recenſebo.

Diagnoſis. Cognoſcere Morbum in principio admodùm difficile eſt, quoniam pituita ſæpius pus mentitur, cum tuſſi & corporis extenuatione, in quâ pulmones illæſi tamen manent, notante *Riverio p. m.* 315. Quæ tamen ſigna Phthiſeos imminentis ſint obſervanda, eleganter attingit *Hippocr. Lib. I. de Morbis p. m.* 450. Nos itaque pro incipientis Phthiſeos ſignis reputandum cenſemus, ſi quis fortè hæreditaria ad hunc morbum diſpoſitione prædirus poſt has illaſve cauſas occaſionales & procatarcticas incipiat tantillùm difficiliùs ſolito reſpirare, Tuſſiculâ ſiccâ frequenti moleſtari, pauxillum laſſus evadere, phlogoſes etiam repetitas, aut febriculas ephemeras leniores experiri, appetitum nonnihil amittere, ac ſæpiuſculè plus ſitire, corpore toto ſimul gracileſcere. Etiam ſigna diagnoſtica deſumere nobis licet à Morbis prægreſſis, Variolis, Febribus malignis, Hæmoptyſi, Pleuritide & aliis, ſi ſcilicet remaneat Tuſſis ac Dyſpnœa cum corporis extenua-

Signa Phthiſeos confirmata. tione & lentá febri. Quod ſi hic affectus ſit confirmatus, ejus ſigna adeò ſunt manifeſta, ut in ſenſus vel maximè incurrant, videl. Corporis notabilior conſumptio, Febris perpetua, lenta, Sitis, Dyſpnœa, Cordis palpitatio, Tuſſis crebra mane imprimis & veſperi moleſta, cum exſcreatione materiæ viſcoſæ plus minus purulentæ, ſubinde etiam cruentæ, quæque aliquando cum portione ſubſtantiæ pulmonis vel etiam cum tota vomicæ tunica prodiiſſe viſa eſt, laſſitudo corporis quotidie major, quibus tandem accedit Facies tota Hippocratica, oculi nimirum cavi, genæ collapſæ, color luridus, naſus & aures frigidæ, labia pallida, tumor pedum, pilorum defluvium, pediculorum copia, ſudores nocturni colliquativi. Verùm ſi affectus non innotuerit, antequam hæc ſupervenerint ſigna, tunc ſerò ſapiunt phryges.

Signa deplorata Phthiſeos.

Prognoſis. Quoad Prognoſin dicimus, affectum hunc in principio aliquam ſubinde admittere medelam, ſicut experientia teſtis eſt. Quæ autem Phthiſis eſt confirmata, cùm ſc. plures Vomicæ, l. Ulcus magnum ſubſtantiam pulmonum eroſit, cum maſſa ſanguinea acrior jam eſt facta, vel ſi ſcirrhus durior Pulmonem teneat, difficillimæ vel nullius eſt curationis; ut in ulteriore progreſſu omnem prorſus eludat Medici operam, id quod ingenuè fatetur *Timæus Lib. 2. Epiſt. 2.* ſe ſc. in tota ſua praxi, quam triginta ſeptem annis exercebat, neminem ex iis, qui Ulcere pulmonum affecti fuerint, integræ ſanitati reſtituiſſe, nec ab aliis etiam celeberrimis Medicis quempiam reſtitutum ſe legiſſe. Idem *Johannes Crato trium Imperatorum Medicus Conſilio 86. pag. m. 225. teſtatur*, difficillima, inquiens, eſſe curatu Pulmonis Ulcera propter perpetuum motum, tuſſim, & quod medicamenta non facilè permeant, ſciunt ac uno ore Medici fatentur omnes. Conſentit ipſe etiam *Galenus* ſtatuens, exiguam ſanationis ſpem in Ulceribus pulmonum ſupereſſe. In deplorata igitur Phthiſi adeo quidem nulla ſupereſt curationis poteſtas, ut nec ipſe Apollo quicquam effecturus videatur; cùm iterum *Hippocrates Aph. 11. §. 5.* dicat; *qui Tabe vexantur, ſputum graviter olens extuſſiunt, & capilli defluunt,*

fluunt, lethale *it. Aph.* 12. §. 5. *Quibus Tabe laborantibus Capilli deſluunt, ii Diarrhœa ſuperveniente moriuntur.* Tandem mortem prædicit Senex noſter *Aph.* 16. §. 7. *Ex puris ſputo Tabes & fluxus malum, poſtquam verò ſputum ſupprimitur, moriuntur.*

In Curatione Phthiſeos tam incipientis quàm confirmatæ Ventriculus & Inteſtina ſtatim à ſaburrâ humorum viſcido-acrium liberanda ſunt vacuante blando aliquo remedio, nunc *Vomitorio*, nunc *Cathartico*; ex. gr. *Curatio Phthiſeos.*

℞. *Mann. calabr.* ℥ij.
Succ. Citr. ℥ß.
Cryſt. Tart. ʒij.
Aqu. Borrag. q. ſ.
Solut. & colat. adde
Julep. roſ. ʒvj.
Aqu. Cinam. ℥ß.
Diacyd. luc. ʒj.
M. f. potio pro doſi.

Vel

℞. *Oxyſ. emet. L.* ʒiij.
Ol. Amygd. d. r. ℥j.
Jul. roſ. ℥ß.
M. pro doſi.

Præmiſſo evacuante blando poſtmodum conducunt promiſcuè *edulcorantia, alcalina, expectorantia, vulneraria,* & *quævis antiphthiſica* ſpecificè paſſim laudata, ſub forma *Decocti pectoralis, Mixturæ, Linctûs, Electuarii, Pulveris, Pilularum, Trochiſcorum* &c. ex quibus pro rei conditione convenientiſſima ſeligi debent. Pro Decocto efficaciam ſequentis formulæ plures experti ſunt milites:

℞. *Rad. Tuſſil.*
Helen.
Caryophyllat.
Liquir. ana ℥ß.
Fol. Veron.
Sanic.

Fol. Lich. petr.
Auric. mur.
ana Mj.
Flor. Bell. min.
Tuſſil.
ana Mß.
Sem. Aniſ.
Fœnic. ana ʒij.
Fic. ping. Num. iv.
Jujub. par. vj.
Dactyl. N. iij.
Paſſul. maj. ℥j.
Inc. & cont. cum Aq. ℔x. decoquantur.

Pro Mixtura laudarem ſeq.

℞. *Aqu. Veron.*
Hyſſop.
Card. off.
ana ℥ij.
Syr. de Jujub. ℥j.
Conf. Hyac. inc. ʒj.
Eſſent. Croc.
Antih. Pot. ana ʒß.
M. d. ad Vitr.

Pro Eclegmate.

℞. *Ol. Amygd. d. r. ℥iß.*
Syr. dialth. F.
Pap. rh.
ana ℥ij.
Tereb. ven. ʒij.
Eſſent. Croc. ʒj.
Spec. diatr. fr. ℈ij.
M. f. Linctus.

Vel quod ſingulare eſt:

℞. *Balſ. peruv. l.*
tolut. ʒß.
Syr. Bell. min. ℥iv.

Conſ.

Conf. Hyac. inc. ʒij.

Miſce

Pro Electuario:

℞. *Conſ. fl. Bell. min.* ℥j.
Sp. antih. Pot. ℥ß.
Syr. de Farf. q. ſ.

F. Elect. craſſius.

Pro Pulvere:

℞. *Fol. Lich. petr.* ℥j.
Antih. Pot. ℥ß.
Succin. alb. præparat.
Myrrh. el. ana ʒij.
Sem. Aniſ.
Fænic. ana ʒj.
Sacch. roſ. t. ℥ij.

M. f. Pulvis.

Pro Pilulis:

℞. *Extr. Beton.* ʒj.
Liqu. ʒß.
Succ. alb. ʒij.
Laud. op. gr. iv.
Balſ. peruv. q. ſ.

F. pil. piſi magn. doſ. N. 10. 15.

Alioqui ſingularis efficaciæ eſt *Terebinthina ven. ſub forma pilulari ad* ℈j. quotidie adminiſtrata, cum *Infuſo vulnerario* frequenter calidè hauſto, *Syrupo de Farf.* ad dulcorem adjecto. Quæ autem innumera alia ab Authoribus quæque ſuis contra Phthiſicum morbum ſpecificè deprædicantur, iis nos brevitatis ſtudio addîcti non amplius inhærebimus. Id tantum ſupereſt ut memorem, peculiaribus Symptomatibus, quæ hinc inde Phthiſicis ſuperveniunt, propriis paſſim remediis, quæ jam aliunde nota ſuppono, occurrendum eſſe, nec non vires quoad licet refocillandas tum cordialibus pharmaceuticis, tum analepticis culinariis, alimento gelatinoſo, lacteo, ſucculento, potu moderato non injucundo. In quo cenſu præſertim laudari meretur Gelatina ſequens: ℞. *Pedum*

℞. *Pedum vitulin. l.*
Carnis vitulin. qu. pl.

Cum Vini alb. opt. q. ſ. coqu. in vaſe dupl. per multas horas, tunc adde

Aqu. Naph.
fl. Til.
Acac.
Borrag.
Cinam.
Roſar. ana p. æqu.

Denuo coque ad carnis omnimodam diſſolutionem, cola & exprime, expreſſo adde

Amygd. dulc. excort. in maſſam redactorum
qu. videbitur.

Nunc invicem mixta rurſus per colum trajice fortiter, ut habeas Gelatinam albam analepticam. Poteſt etiam pro lubitu aromatiſari Cinamomi, Caryoph. Croc. &c. pulvere.

Nec non *Lac amygdalinum*, aut *pineatum, piſtaciatum, cum Saccharo edulcoratum* copioſè uſurpatum plurimùm Phthiſicos juvare ſolet. Ut taceam *Lac bubulum, caprillum, aſininum*, nunc ſincerum, nunc ſolutum *Tamarindis*, pro phthiſico malo abundè commendatum. Poſtremò etiam Phthiſicis confert Aërem ſubinde mutâſſe, corpus leniter exercuiſſe, animum excitaſſe, Diætam tenuem & gelatinoſam in victu obſervaſſe, & quæ ſunt ejuſmodi plura roborandæ naturæ idonea adminicula. Si verò non obſtante remediorum uſu in pejus eat quotidie malum, & ad extremam tabem redigatur corpus, tùm nihil ſupereſt amplius, quàm ut graſſantibus Symptomatibus hinc inde convenienter obviam procedatur, & ſic Doloribus, Tuſſi, Dyſpnoëæ, Anxietatibus, Sudoribus, Diarrhœæ phthiſicæ &c. levamen afferatur.

Dyſenteria Caſtrenſis.

IV. Inter affectus atrociſſimos Corpora Caſtrenſium infeſtantes etiam ponimus *Dyſenteriam* illam, *Caſtrenſem* vel ideò dictam, quia in Caſtris præſertim profuſam edit ſtragem, ut ſæpius plures contagioſo hoc affectu, quàm hoſtis gladio

gladio pereant. Eſt autem Inteſtinorum quà tenuium, quà craſſorum Phlegmone, excoriationi tunicæ villoſæ, interdum & nervoſæ ſociatum, non ſine Dejectione frequenti cruenta, mucoſa, acerrimis circa umbilicum Torminibus, Teneſmo, & Febri continuâ, nunc benigna, nunc maligna Militem affligens.

Cauſa materialis Dyſenteriæ eſt Materia acido-acris-corroſiva, hinc mucum inteſtinalem & villoſam tunicam abradens, illinc Fibrillas & Vaſa nervoſæ membranæ graviſſimè pungens, atque arrodens, ad Inteſtina cum ipſis alimentis delata, vel ex ipſa Maſſa ſanguinea, l. denique per Ductum cholidochum atque pancreaticum eò advecta. Cauſæ remotiores penè ſunt innumeræ, à ſex rebus non naturalibus ſic dictis illatæ, inter quas in quantum Aër ſe ad morbum hunc producendum extendat, videatur in *Ephem. N. C. D. II. A. IV. p.* 246. *Hippocr. Aph.* 2. §. 3. *Aph.* 12. 16. *&* 22. §. 3. *Galen. Commentario in Aph.* 22. §. 3. *Boyle Exper.* circa Aëris gravitatem, vim elaſticam & in corpore neceſſitatem, *Malpighii Tractat. de Bombyce*, *Pechlini Meditat. de Aëris & Alimenti defectu, atq; Vita ſub aqua Cap.* 2. *p.* 32. *Bohnii Meditat. Phyſico-Chym. de Aëris in ſublunaria influxu Cap.* 1. *p. m.* 458. *Ettmülleri Valetudin. infant. p. m.* 1705. *Willisii de Medicamin. Operationibus Sect.* 3. *C.* 3. aliiſque. Mihi magnam certè lucem adjecerunt varia circa Aëris virtutes Experimenta, in Collegio experimentali à *Celeberr. & Experientiſſ. Zwingero, Hoſpite meo honoratiſſimo* pridem inſtituta. Vim aëris corrupti promovet Militum inordinata Diæta, atque peſſimus vivendi modus, eoque pertinent inprimis Cibi valde ſaliti, pravi ſucci, & difficilis digeſtionis, Sanguini ſalſo-acrem diatheſin inferentes; Aquæ impuræ, frigidæ, Vinum glaciale, aliaque potûs genera forte in Vaſis cupreis diù aſſervata, indeque non rarò corroſivis particulis donata; cujus memorabilem notavit obſervationem *Hildan. Cent.* 2. *Obſ.* 100. Id quod alioquì Milites in Caſtris degentes, morbo huic adeò obnoxii, multiplici exemplo nos docuerunt, & Dyſenteriæ epidemicæ poſt obſidiones

Dyſenteriæ origo.

urbium, & in annonæ charitate frequentes ſatis ſuperque idem convincunt. Accedunt jam dictis cauſis alii atque alii caſtrenſium errores, circa motum corporis, vigilias, & animi affectus, adeo quidem ipſis familiares, ut vel perpetua lege caſtris connatos eſſe dixeris. Videatur de iſta cauſarum in campis σύνδρομη *Pauli Brandii Med. Caſtrenſ. in Act. Hafn. Vol.* 5. *Obſ.* 31. *& Valent. Willius in Tract. Med. de Morbis caſtrenſib. C.* 1. *part. IV. p.* 3.

Differentiæ. Alioquî dantur nonnullæ hujus morbi differentiæ, pro Subjectorum, Partis affectæ, nec non Materiæ peccantis diverſa conditione ac ſtatu, hinc enim alia benigna, alia maligna, alia alba, alia cruenta, alia longa, alia brevis, alia continua, alia periodica, alia endemica, quæ à *Sydenhamio* obſervata inter *hybernos affectus L.* 4. *c.* 3. alia epidemica, qualis An. 1712. in Bello noſtro Helvetico potiſſimum Julio & Auguſto menſibus contigit, magis minusvé contagioſa &c. appellari ſolet.

Prognoſis. Dyſenteria plus alit periculi in Delicatioribus, quàm robuſtis, in Pueris atque Mulieribus (præſertim gravidis vel quibus Menſes nunquam fluxerunt, vel ſupreſſi ſunt) quàm adultis aut Viris. Senes atque infantes vix ac ne vix quidem evadunt. Ratione partis affectæ, ſi afficiantur Inteſtina tenuia, præſertim Jejunum, annotante Celeberr. *Baglivo Prax. med. lib.* 1. *cap. de Diarrhœa & Dyſenteria p. m.* 74. ob Hepatis vicinitatem malum gravius exiſtit, quàm ſi in craſſis ſedem ſuam habuerit. Deinde quò major graviorum ſymptomatum eſt numerus, eò periculoſior eſt dicendus affectus. Si extrema continuè frigeant, loquelâ utcunque præſente, & appetitu aliqualiter conſtante, ſignum eſt certiſſimum internæ ſiderationis, atque futuræ mortis, juxta *Hippocr. Præſag. Sect. IV. aphor.* 48. item *Aphor.* 1. *&* 26. *Sect.* 7. Dejectiones mucoſæ ſpem ſalutis adhuc relinquunt, ſtriæ ſanguinis intermixtæ gravius malum indicant. Sanguis ſincerus, purus, floridus, ſi non in adeò magna quantitate excernatur, ancipitis ſpei. Vid. rurſus *Hippocr. Aph.* 23. In longis Dyſenteriis appetitus proſtratus malum *Hippocr. Aph.* 3.

Aph. 3. *Sect.* 4. Si à Dyſenteria detento velut carunculæ ſeceſſerint, lethale *Aph.* 26. *Sect.* 4. Si Inteſtina ſunt gangrænata & ſphacelata, id quod divinamus, ſi excreta ad viridem, æruginoſum, vel etiam nigrum accedunt colorem, & ſummum exſpirant fœtorem, iisque ingens Febris, extremorum frigus, ſingultus, Facies cadaveroſa ſimul interſuerint. *Hippocr. Sect. IV. Aph.* 23. & 24. Si adeſt Linguæ inflammatio & deglutiendi difficultas, Angina cum ſingultu & vomitu, delirio, convulſionibus &c. lethale. Aphthæ etiam in progreſſu morbi ægro interitum minantur. Nonnunquam ſequitur hunc affectum *Tumor pedum œdematoſus, Hydrops, Scabies, Arthritis, Lienteria*, quæ ultima ſemper ferè lethalis obſervata fuit, præſertim ſi poſt Dyſenteriam longam oſcula Vaſorum lacteorum cicatrice obducerentur, unde neceſſariò Tabes & Maraſmus, ipſaque mors ſuccedit. Vid. exemplum in Barbette *Notis ad Lib. I. cap.* 5. §. 6. Tùm verò ſpem ſalutis denuò impetrandæ magnam facimus, ſi vires ſuperſint bonæ, appetitus aliqualis, Febris exigua, excoriatio inteſtinorum parva, dejectio parcior &c. Quibus *Hippocr.* ſuum ſymbolum confert *Aph.* 1. *Sect.* 6. *Diuturnis inteſtinorum lævitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui prius non fuit, ſignum bonum.*

Dyſenteriæ cura abſolvitur 4. Indicationibus.

Cura Dyſenteriæ cujuſcunque ad quatuor præſertim momenta redigitur, (*a*) ut Humor nocivus ſalſo-acris plus minus corroſivus ex primis viis blande ejiciatur. (*b*) ut Fluxus mucoſo cruentus adhuc continuans per alcalina, abſorbentia, & moderate adſtringentia ſenſim ac ſenſim inhibeatur, etiam interjectis balſamicis & gelatinoſis vulnerariis excoriatio inteſtinorum facta maturè perſanetur (*c*) ut Dolor vel Tormina ſæva, Teneſmus, aliaque fortè præſentia Symptomata narcoticis & demulcentibus leniantur (*d*) ut per morbum debilitatus ſtomachi & inteſtinorum tonus motuſque per aromatica & analeptica roborantia reſtituatur. Quibus indicationibus ut oppidò ſatisfiat, in tempore Diætæ ratio exacta eſt imperanda, victum hinc ad *Juſcula carnea,* *Diæta ratio.* *lactea, farinacea, Mucilaginem Hordei, Gelatinas vitulinas, &c.*

 illinc

illinc ad potum *Aquæ panatæ,* l. *chalybeatæ,* l. *Tiſanæ ex decocto Sem. Hord. raſur. C. C. rad. Torment. Caryophyllat. Chinæ, Sarſæp. Pinear. Piſtacior. Sebeſten. Dactylor. &c.* reſtringendo, affectus animi, motum corporis, vigilias longas, &c. proſcribendo, & ut verbo rem totam complectar, cauſas omnes reſcindendo, ex quarum influxu præſens Morbus incrementum capere poſſet.

Indicationi (a) ſatisfit. Deinde ad regionis primæ expurgationem inſerviunt nunc *Emetica,* nunc *Catharctica* blandiora, quorum etſi hinc inde ſpecifica apud authores legantur, operatio tamen promiſcuè ſe habere videtur, ut perinde ſit, an hoc an illud eligere malis, dummodo vites reſinoſa, acria, cauſtica, à quibus mali exaſperatio, & ipſa mors haud dubie timenda foret. Inter vomitoria huic affectui præſertim tribuitur, & opponitur meritò decantata jam illa, & *Helvetio Doctori apud Pariſienſes Clariſſimo* admodum lucrifera *radix americana Ypecacuanna,* à *Guilielmo Piſone, Med. Amſtel. in Hiſt. Indiæ utriusq; naturali Lib. IV. Cap. 53. p. 231.* primitùs deſcripta, & orbi literato communicata, de cujus exhibendi modo, & cautelis obſervandis prolixiùs tractat *Cl. Valentini in Polychr. exot. Diſſ. 2.* & *Lemery Traité des Drogues ſimples p. 388.* Qua quidem radice *Excell. Dn. Hoſpes meus* in Dyſenteria maligna olim hîc Baſileæ ſæviente frequenter admodum non ſine fauſtiſſimo ſucceſſu eſt uſus, ut plures etiam eo malo laborantium centurias primùm iſta radice, tunc alcalinis atque incraſſantibus, ſubinde etiam diaphoreticis ac bezoardicis vigori ſanitatis reddiderit. En formulam:

℞. *Rad. Ypecacuanh.* ʒß.
Merc. dulc. ſex. ſ.
Tartari vitr. ana ℈ß.
Fol. Auri $\frac{1}{4}$.
F. pulv. ſubt. pro doſi in juſculo.

Ex Catharcticis eminent hoc loco *ſyrupina, mannata, rhabarbarina,* in forma *potionis* aut *pulveris* adminiſtranda, ex.gr.

℞. *Syr. de Cich. c. rh.* ℥iij.
Aqu. card. off. ℥j.

Diacydon.

Diacydon. lucid. purg. ℥ij.

M. f. potio pro doſi una.

Vel:

℞. *Rhabarb. elect.* ʒj.
Merc. dulc. ſex. ſ.
Crem. Tartari ana ℈ß.
M. f. p. ſ. pro doſi.

Ad expurgationem regionis primæ, ut & Torminum ac Teneſmi levamen apprimè etiam conducunt *Enemata humectantia* & *paregorica.* En aliquod in morbi principio adhibendum:

℞. *Juſculi carn. opt.* ℥x.
Ol. Chamomill. ℥iij.
Mell. roſ. ℥ij.
Elect. bened. ℥ß.
Theriac. Andr. ʒij. *F. enema.*

En aliud excellentiſſimi uſûs in progreſſu morbi:

℞. *Lactis chalybeati* ℔j.
Tereb. vit. ovi ſol. ℥ß. *l.*
Mucilag. ſem. Pſyll. l.
Cydon. l.
Sevi hircin. l. cervin. l.
hædin. l. caprin. ℥j.
Mell. roſ. ℥ij.
F. clyſter quotidie repetendus.

Poſtmodum ſine mora accedendum ad *extergentia, abſorbentia* ac *demulcentia* invicem ſtudioſè uſurpanda, additis ſubinde *Bezoardicis,* ſi Febreos ratio id poſtulaverit, ita quidem cuncta dirigendo, ut congeſtus in inteſtinorum canali humor acris edulcoretur, diſcutiatur, ipſeque exin productus alvi Fluxus ac Teneſmus paulatim expugnetur. Quo quidem ſcopo in forma liquida caſtrenſibus noſtris Helvetiis profuerunt modo *Decocta vulneraria,* ex *rad. Caryophyllat. Ulmar. Ariſtol. rot. ver. Carlin. Chin. Sarſap. Herbis Sanic. Veron. Pyrol. Beton. Hyper. Flor. roſ. r. Hyp. Bell. min. Tuſſ. Pap. rh. Chamom.* &c. modo *Emulſiones* ex *Nucl. Amygd. rec. Pineis, Piſtac.* *Indicationi (b).* *Decocta.* *Emulſiones.*

Mixturæ. *Piſtac. Sem. 4. frig. Pap. alb. Violar.* &c. cum *Aqu. font.* l. *deſtillatâ* quadam paratæ, & pro lubitu *Sacch. roſ.* edulcoratæ: modo *Potiones* & *Mixturæ* ex *Aqu. Plant. Ulmar. Torment. card. off. Syr. de jujub. Conſ. hyac. inc. Ther. andr. Ant. diaph.* &c. concinnatæ, & quotidie ad aliquot doſes adminiſtratæ. In forma media excellentiſſimi uſûs & efficaciæ comperimus *Electuaria* l. *Bolos* ex *Conſervis vulnerariis, theriacâ, Sang. Drac.* &c. compoſitos, v. gr.

℞. *Conſ. roſ. r.* ℥j.
Theriac. andr. ℥ß.
Conſ. Hyac. inc. ʒij.
Syr. de Farf. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad pyx.

Vel:

℞. *Conſ. fl. Bell. min.*
Plantag. ana ʒvj.
Cond. rad. Symph. ℥ß.
Conſ. Hyac. inc.
Elect. diaſc.
Diaph. Jovial. ana ʒij.
Sang. Drac. ver.
Lap. hæm. ppt. ana ʒj.
Terr. Catechu ʒß.
Syr. jujub. q. ſ.
M. f. Elect.

En Bolum:

℞. *Conſ. roſ. r.* ʒj.
Ther. andr. ʒß.
Lap. hæm.
Terr. japon. ana ℈j.
Flor. balauſt. ℈ß.
Laud. op. gr. ij.
M. cum Sacch. & Syr. Cydon. f. bolus.

In forma ſicca apprimè conduxerunt Militibus noſtris *Pulveres* ex *Oc. Cancr. Corall. C. C. uſt. Unic. foſſ. Ant. d. Bez. Jovial. Bol. arm. Terr. ſig. Viper. ppt. Sang. Drac. ver. Lap.*

hæmat.

hæmat. Myrrh. Maſtich. flor. roſ. r. balauſt. rad. Torment. Biſtort. Nuc. moſch. &c. concinnati, & quotidie ter non ſine vehiculo aſſumpti. Ex. gr.

℞. *Diaph. Jovial.* ℥ij.
Sang. Drac. ver. ℥j.
Lap. hæmat. ppt.
Myrrh. el. ana ℥ß.
Succin. alb. ppt.
Nuc. moſch. ana ℈j.
Sacch. roſ. tab. ℥ß.
M. f. pulv. ſubt. d. ad ſcat.

Vel:

℞. *Bol. arm. ppt.*
Unic. foſſ. ppt. ana ℥ij.
Rad. Torment. ℥j.
Flor. roſ. r.
Nuc. moſch. ana ℥ß.
Sacch. roſ. ℥vj.
M. f. pulvis.

Vel ſi urgentior ſit Febris:

℞. *Ant. diaph.* ℥ij.
Viper. ppt. ℥j.
Bez. min.
Terr. ſig. ana ℥ß.
M. f. Pulv. div. in 8. doſ. æqu.

Euporiſton alioquî non aſpernandum habuimus ex *Maſtiche* l. *Thure* l. *Myrrhâ*, & *Nuc. moſch. pulveris.* cum ovo ſorbili ad ℥ß. l. ℥j. aſſumptum aliquoties. Quin & *Juſculum optimum* carn. *Seminibus Cumin. Carvi, Aniſ. Fœn. Aneth. Naſturt.* &c. fervidè affuſum & ilicò colatum, ſi potetur, egregiè juvat, ſicuti etiam multiplici experientia edoctus hoc approbat *Excellentiſſ. Argentoratenſium Medicus & Prof. Scheidius.* Si Balſamica eminentia in uſum vocare cupias, poterit *Balſamus de Peru*, l. *Tolu* cum *Syrupo cydoniorum* proportionatè miſceri, & diligenter uſurpari. Qui ſpecifica hîc alia atque alia magnificis dilaudant encomiis, næ illi ſuperſtitionis aut igno-

ignorantiæ notam incurrere videntur. De Venæſectione autem, quâ Galli in hoc affectu ut aliàs toties utuntur, ita cenſendum, quod ubi Plethoricum ſit ſubjectum, ubi inflammatio inteſtinorum magna, ibi quidem habere locum poſſit, non alio fine, quam ut diminuta ſanguinis mole Vaſorum ſyſtema relaxetur, eòque modo Febri, Dolori & Inflammationi pabulum ſubtrahatur.

Indicatio (c) Symptomata alia urgentia apud Dyſentericos ſunt præſertim *Febris, Tormina, Teneſmus;* illique *diaphoreticis* ac *bezoardicis,* his autem *opiatis* & *paregoricis* cummaximè proſpicitur. En Pilulas ὑπνοφόρους, ſingulis l. alternis diebus veſperi capiendas:

℞. *Extr. Torment. l. Biſtort.*
Terr. japon. ana ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
Balſ. peruv. q. ſ.
M. f. pil. N. VII. deaur. d. pro doſi.

Indicatio (d) Profligatâ autem Dyſenteriâ ad reſtituendum ſtomacho & inteſtinis tonum ac motum ſat vegetum uſurpare convenit *Tragema aliquod ſtomachicum,* ex *Aromatibus* & *Saccharo* cumprimis confectum, cujuſmodi formulæ paſſim copioſæ apud authores pharmaceuticos proſtant. Nec non paulatim victu largiore, potu roborante, motu corporis, aëris mutatione & ſimilibus adminiculis corpus eſt roborandum.

Obſervatio circa Vinum in Dyſenteria. Quoad uſum Vini rubri in Dyſenteria licet iſtud nonnunquam abſente febri conducat, exiſtimo tamen rariùs id indulgendum eſſe, minimè verò ſi affectus cum febri & malignitate fuerit conjunctus; in hoc enim caſu memini apud quàmplures Militum noſtrorum, qui ſuaſu uxorum ſuarum l. meretricum eo potu ad ſitim uſi fuerunt, ſiniſtrè eveniſſe, dum aliis quidem gangræna lethalis, aliis Tormina, Teneſmus ingraveſcentia, aliis denique novi affectus exinde propullularunt; ut perperàm vulgares mulierculæ in quolibet Dyſenteriæ caſu ad Vinum rubrum velut ſacram anchoram confugiant, aut arcanam in illo vim antidyſentericam requirant.

V. Uti

V. Uti ex omnium Morborum genere vix ullus eſt, qui clàm & ſubdolè in corpus humanum magis debachetur, quàm Lues illa venerea, ita profectò in Caſtris accenſas furiorum faces æmulatur, quibus miſeri præliantes diriſſimè ſæpè affliguntur, ut mori ſæpiùs malint, ſi daretur electio, quam cruciatus tam immanes ac intolerabiles diutius perpeti. Affectum verò hunc deſcribimus, quod ſit Dyſcraſia & corruptio humorum in machina noſtra exiſtentium univerſalis, quâ particulæ acido ſalſæ, viſcidæ, acres & corroſivæ mediante coitu impuro utplurimùm, ſæpe per contagium, rarius per hæreditatem contractæ, atque hinc toti ſanguinis maſſæ communicatæ non tantùm glanduloſas, carnoſas, tendinoſas, nervoſas, ſed & ſolidiſſimas hinc inde partes, oſſa ſcil. ſpecifico quodam modo exedunt, corrumpuntque, ita ut ferè innumeris graviſſimis & dolorificis ſymptomatibus anſam præbeant. Atque horrenda hæc Lues uti hodie nec Uxorum caſtitati, nec Virginum pudicitiæ, nec Infantum innocentiæ parcit, ita hâc nulla capitalior peſtis Militibus in Veneris caſtris militantibus in natura datur, quæque ideò *Scortatorum flagellum*, & *effrœnatæ libidinis ſtipendium*, *Gallis la grande ou groſſe Verole, nouveau Chryſtalline, Mal venerien*, ou *Infection venerienne* audit. Contagium autem venereum cùm non ſit volatile, ſicut in Febribus malignis, ſed fixum magis, acre & corroſivum, non producit morbos acutos, ſed chronicos. Non communicatur facilè indiſtans, nec propagatur eminus ut peſtis, ſed cominus; undè non obſervatur ſolo halitu quis facile infici per inſpirationem in eodem contubernio cum infecto vivens, alias enim Chirurgi caſtrenſes in Noſodochiis ægrorum curam habentes ab hâc labe non immunes eſſent; ſed diſſeminatur, ex calculo noſtro, præprimis in caſtris à Veneris Heroidibus per immediatum contactum, l. partium genitalium in affrictu verendorum impuro, poris tunc magis patulis exiſtentibus, & januam veneno aperientibus; l. oris & labiorum mediantibus poculis aut oſculis laſcivioribus & ſalivâ; quicquid vulgò replicent & fingant in Veneris caſtris

Lues venerea.

Idea generalis hujus luis.

Subjecta.

Solo halitu nemo facilè inficitur.

ſtris præliantes ad illicitæ & effrenatæ libidinis delicta. tanquam ſimulatæ innocentiæ velo obtegenda. Nam quemadmodum Scapha, ni fuerit lacera, fiſſa, perforata, allabentem aquam reſpuit, ita in eodem lecto cùm infectâ perſonâ decumbens tàm facile inſici nequit, niſi per venereos amplexus ſanies & ichor ex hujus partibus ulceratis alterius partibus ſolutâ prius unitate ad introitum Veneni patefactis, vel præ aliis raris, delicatis, & cutis craſſioris operimento denudatis, communicetur. Hinc merito *Fallopius* ridet Matronas ſimulatæ caſtitatis oſtentrices, quæ *Aquæ luſtralis* in *apice digiti fortè ab infecto oblatæ* aſperſione ſe fœdatas profitebantur.

Diagnoſis. Ad cognoſcendum probè hunc affectum Oedipo ſæpe opus eſt, nam ſi ullus unquam Morbus larvatus inceſſit, hic præcipuè illud nomen meretur, cùm ſub diverſiſſimâ facie modò *Arthritidis vagæ*, modò *Cephalalgiæ*, modò *Scorbuti*, *Febreos*, *fœdæ Scabiei* &c. illudat, præſertim verò obſervavit *Eruditiſſimus Baglivus* hanc ipſam Luem pro varietate conditionis & ſtatûs Perſonarum variis in locis machinæ ſedem figere, ex. gr. *Articulos* in militibus, bajulis, plebejis, *Caput* in literatis, *pulmones* in muſicis, *Glandulas meſenterii* in mulierculis, aliiſque ſedentariis petere. Ne dicamus ex certis rationibus ab ipſis Medicis ſcapham

Signa pathognomonica recenſentur. ſcapham non appellari. Vix datur ſignum unicum pathognomicum Luis venereæ ſufficiens, ſed plura conjungenda ſunt, licet Dolorem fixum in medio pectoris diu ac mo-

Luis latentis. leſtè ſine Tuſſi perſeverantem, ſignum Luis gallicæ latentis, & *hoc ſigno ſe ſolùm manifeſtantis* eſſe, memoriæ prodiderit *Doctiſſimus* atque *Celeberrimus* ille *Baglivus*. Levibus aliàs ab initio hæc Lues blanditur ſymptomatibus, leviores mentita morbos, & inſtar ignis occulti urit, quibus volupe erat accedere ad illicitarum deliciarum flammam. Incipientis Luis

Luis incipientis. ſigna vulgò hæc ſunt: præcedit Gonorrhœa virulenta ſtipata variis ſymptomatibus, hanc excipit laſſitudo & gravitas totius corporis, ſi virus venereum fuerit acrius, in principio quoque apparent ulcuſcula ſordida in partibus à veneno primùm tactis, in labiis ſc. ſi ab oſculis l. poculis, in pene ſi à

ſcorta-

ſcortatione malum originem habuerit, præputium atque glans ſæpè inflammantur, ac intumeſcunt, non ſine doloris & ardoris ſenſu, ſequitur Priapiſmus præprimis noctu exacerbatus atque dolorificus, in Scroto tumores, inflammationes, Teſtium abſceſſus, ulcera, in Inguibus bubones lividi venerei oriuntur, ſputatio frequens præſertim jejuno corpore, dolores vagi ſub noctem ingraveſcentes, ſomnus interruptus, halitus oris fœtens, vox rauca, calor inſignis in plantis pedum, & volis manuum, ſub oculis interdum circulus lividus ſicut in Menſtruatis, in aliis facies parùm inflata eſt, & inſueta vultûs decoloratio, faciei phlogoſes. Si malum altiores egerit radices, cephalalgias excitat graviores, Dolores artuum noctu ingraveſcentes, fauces exſiccantur, inflammantur, imò in pluribus exulcerantur, carnoſaſque excreſcentias vel depaſcentia ſenſim ulcera acquirunt, quæ vicinas paulatim partes exedendo tandem duras æquè ac molles miſerando ſpectaculo abſumunt, itidem tophi ſive tubercula in oſſibus producuntur, & quæ ſunt alia plura hunc dirum affectum concomitantia. Certum quid in prognoſi prædicere minus licet, cùm pro conſtitutione atque temperie Sanguinis variâ, pro ſymptomatum paucitate ac pluralitate, magnitudine ac parvitate, pro climatis, temporis anni, ætatis &c. reſpectu diverſiſſimi ſoleat eſſe eventus. Curatur tamen millies atque millies, præprimis ſi recens fuerit, & ſanatur quidem facile ac perfecte, ſi recens, difficilius autem, ſi inveteratum fuerit. *Confirmata.* *Prognoſis.*

Nos curationem Luis venereæ ſequentibus duabus indicationibus ſuperſtruimus, (1) ut corrigatur Dyſcraſia humorum circulantium univerſalis (2) Symptomata affectum concomitantia diſcutiantur. Et prima quidem indicatio abſolvitur nunc per diaphoreſin, nunc per ſalivationem, nunc per diureſin, alvo & primis viis in omni caſu ſæpe etiam expurgatis. Si itaque mitior fuerit affectus à purgantibus erit inchoandum, ex. gr. *Curatio duabus abſolvitur indicationibus.* *Indicatio* (1)

℞. *Extract. cathol.*
Mercur. dulc. ana ℈j.

 Scammon.

Scammon. ſulphurat. gr. vj.

Cùm Oleo deſtill. uccin. fiant Pil. Num. XV. deaur. d. ad ſcat. pro doſi.

Ejuſmodi pilulæ ſingulis octiduis repetantur, reliquis autem diebus à purgatione vacuis propinetur *Decoctum Lignorum* ex *Rad. Chinæ, Sarſæparillæ, Liquiritiæ ana* ℥ß. *Lign.* vel *Cortic. Guajaci, Saſſafras, Santal. rubr. Juniper. ana* ℥iß. *Sem. Fœn. Aniſ. ana* ℥ß. *quæ inciſa & contuſa in Aquæ font.* ℔viij. *ad tert. part. conſumptionem coquantur & colentur.*

Vel:

℞. *Antim. crud. in pet.* ℥iv.
Rad. Caryophyllat.
Liquirit.
Raſ. lign. Juniper.
Quercus,
Guajaci
Sem. Fœnic.
Aniſ. ana ℥ß.

Coque in Aq. font. ℔viij. *ad tert. part. conſumptionem.*

Hinc Venæſectio in alterutro brachio inſtitui poteſt, niſi æger anæmiâ laboret, atque interim *diaphoretica* l. *ſudorifera* non ſunt negligenda, ex *Theriac. andr. Elect. diaſc. Antimon. diaph. Diaphor. jovial. martiali Bezoard. min. Cinnab. nat. opt.* l. *Autimonii corr. Succin.* &c. parata. En formulas:

Pulvis.

℞. *Pulveris Viperar.*
Antimonii diaph.
Diaph. Jovialis
Cinnab. nativ.
Succin. ppt. ana ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. in 12. *doſ. æq. divid. ad ch. m. & v. doſis cum Aqua fumar.* l. *ulmar.* l. *ſcabioſ. ſumatur.*

Potio.

℞. *Aqu. Meliſſ. l. fl. Sambuc.* ℥iij.
Syr. cort. aurant. ℥ß.
Theriac. Andr. l. Elect. diaſc.
Pulveris Viper. l. Serp. ana ʒß.

M. f. potio d. ad Vitr. pro doſi.

℞. Con-

℞. *Conſerv. fl. Borrag.* ℥j. *Electuarium.*
Theriac. andr. ʒij.
Specif. ſtomachic. pot. l.
Diaph. Jovialis l.
Pulv. Viperar. ℥ß.
Syr. Cort. aurant. q. ſ.
M. f. Electuarium.

℞. *Conſerv. Borrag.* ʒj. *Bolus.*
Theriac. Andr. ʒß.
Antimon. diaph. l.
Pulv. Viperar. ℈j.
Cinnabar. Antim. corr. l.
nat. ver. ℈ß.
Sal Abſynth. gr. vj.
Cum Sacchar. f. Bolus pro doſi.

℞. *Eſſent. Balſam. de Copayb.* ʒij. *Eſſentia antivenerea.*
Ol. deſtill. Ligni Guajaci,
Terebinth. ana ʒj.
M. d. ad Vitr. ut. m. & v. guttæ 30. *capiantur cum Decocto lignorum.*

Uti in Lue hac omnem abſolvunt paginam *bezoardica, antimoniata, ſuccinata, cinnabarina,* ita ſingularem quoque energejam nobis promittit *Axungia viperina vera à* ʒß. *ad* ʒj. in *Conſervâ fl. Borrag. l. Roſar. rubr.* repetitis vicibus ægro propinata, quâ ſolâ, (præmiſſis tamen univerſalibus) plures feliciter curatos ſcimus.

Diætæ acumen interim maximè eſt attendendum, *Juſcula conſumata, carnea, hordeacea* atque *avenacea* quàm optimè conveniunt. Pro potu ordinario cedat *Decoctum lignorum dilutius.* Affectus animi, Venus, Intemperantia omninò fugiantur; imò poſt curationem abſolutam omnes adhuc ejuſmodi errores ſtudioſè vitentur. *Diæta.*

Alius etiam datur *modus* hanc Luem peſtiferam tractandi, nempe *prorſus ſudatorius,* qui vulgò per tres ſolùm hebdomadas durat, interdum etiam ad uſque ſex extenditur. *Alia Luis venereæ therapia.*

Alia. Si verò affectus altiores egit radices, ad *Curam ſalivatoriam*, tanquam ſecuriſſimam medelam eſt accedendum, & hæc nonniſi ſex hebdomadarum ſpatio abſolvitur, quarum prima præparatione ad ſalivationem, reliquæ ipſâ hâc particulari excretione conſumuntur, ſub finem addendo, quæ Nervos & Viſcera valdè debilitata exhauſtaque roborare, & priſtino vigori reſtituere valent. Supereſt quartus modus *Alia.* citra ſalivationem, isque minus ægris moleſtus, certus tamen, ac ratione non minus quàm experientiâ probatus, ideoque hodie multùm quoque uſitatus. Exactam & claram harum Methodorum notitiam qui ſcire cupit, adeat *Celeb. Theodori Zwingeri Theatr. Prax. Hoſpitis mei ad aras venerandi.*

Indicatio ſecunda. Sequitur ea indicatio, quæ reſpicit varia *Symptomata eundem affectum comitantia*, vel Salivationi quoque à Chirurgaſtris malè inſtitutæ ſupervenientia; qualia ſunt *Ulcera pudendorum, Tentigo* & *Priapiſmus, Tumor Scroti inflammatorius, Bubones venerei in inguine, puſtulæ l. exanthemata, ſcabies, fiſſuræ cutis, ulcuſcula narium,* Tophi ſ. Gummata gallica, *Dolor artuum* imprimis *Articulorum, Cephalalgia, Tinnitus aurium, Gonorrhœa virulenta, Tabes, Caruncula meatûs urinarii* &c. Sed cùm de plurimis horum jam egerimus in præcedentibus, ne crambem bis coctam proferamus, aliquibus tantùm eorundem inhærebimus obiter.

Cura Tentiginis. *Tentigo* ſive *Priapiſmus* corrigi tollique poteſt; ſi membrum virile ſæpius *Lacti calenti* cum incoctione *Herbarum Malvæ, Lactucæ, Solani, Cichorii, Endiviæ, Menth. Meliſſ. Rutæ, Violariæ &c.* immittatur; vel lotio cum *Spiritu Vini camphorato* & *Aquâ fl. Sambuc. Meliſſ. Menth. Rut. Sacchаro Saturni, Mercurio dulci* inſtituatur quotidie. Intus conveniunt *antiſpaſmodica, cinnabarina, caſtorina, nitrata, camphorata,* aliaque abſorbentia.

Gummatum. *Tophi ſ. Gummata gallica*, Tumores nempe tartarei, à Lympha gypſea ſ. tartarea oriundi mercurialibus profligantur, ut *Emplaſtro de Ranis Vigonis cum Mercurio.* Sed *Mercurialia* tantùm ſunt applicanda, ſi nulla oſſium caries adſit,

ſit, tunc enim eâ methodo incedendum, quâ in carie uti ſolemus, raſorio nempe inſtrumento raſpando l. abradendo, oſſicula eximendo, l. *cauteria* applicando, os pulveribus tegendo, qui præparantur ex *Euphorbio*, *Maſtiche*, *Iride florentina*, *Ariſtolochia rot. Thure*, *Camphorâ* &c. *Laminæ plumbeæ* cum *Mercurio illitæ*, & in principio ſtatim *impoſitæ* magnum quoque præſtabunt uſum. Alii Tubercula prorſus reſecare, atque hinc ſi ad os carioſum pervenerint, methodum conſolidandi obſervare ſolent, uti jamjam ſuperius docuimus. Si adſint ſquamæ oſſeæ, tunc denudatum os lavare convenit ſequenti mixtura:

℞. *Spir. Vini* ℥ij.
Succ. Chelidoniæ major. ℥j.
Euphorbii ʒj.
Miſce, trahatur diligenter in uſum.

Dolores artuum fixos mitigant potenter reſolventia, atque diſcutientia valida *Ol. Philoſoph. Succin. Caſtor. Lavendul. Roriſmar. Menth. Emplaſtrum diaphoret. nervin. Opoteldoch. anodyn. de Ranis vigonis cum triplo Mercurii, Oleo deſtillato Ligni guajaci acuatum.* Conducunt etiam *Cataplaſmata* ex *Herbis nervinis* parata.

Aurium tinnitus tollitur exterminatione cauſæ, id eſt pituitæ cujuſdam receſſus Aurium occupantis, ſubinde modificationem aëris concham & meatum trajecturi impedientis. Internè dein conveniunt *diaphoretica*, *reſolventia*, *edulcorantia*, cujuſmodi quidem hinc indè ſub variis formulis alibi à me indicata ſunt. Aliquibus poſt univerſalia profuiſſe novi *Eſſentiam Zedoar. Galang. Sal volatile Ol. Sylvii*, *Spiritum Salis ammoniac. fœnic.* &c. quotidie mane & veſperi uſurpata. Maximè quoque juvârunt *Juſcula antiſcorbutica* ſ. *aperitiva*, præſertim quæ ex *Viperis* præparantur, non ſine regimine Diætæ adhibita. Interea etiam extrinſecus injungatur diligens Aurium expurgatio, fomentatio crebra, & inſtillatio *Spir. ſal. arm. Anth. Cochlear. acuſtici Minder. Fœnic. Meliſſ.* cum *Oleo Amygd. amar. l. Oleo deſtillato Fœnic. Aniſ. Roriſm.* &c. *Tinnitus.*

Gonor-

Gonorrhœa virulenta. *Gonorrhœæ virulentæ* cura non multùm differt à *Luis Venereæ* medela, nam quatenus eſt conjunctum huic ſymptoma, morbo profligato etiam ſpontè evaneſcit.

Caruncula meatûs urinarii. *Hyperſarcoſis* ſ. *Caruncula* in *meatu urinario exorta*, propter affecti loci incommodum ſitum non ita facilè abſumi vel tolli poteſt. Oportet *Cannulam* ex argento, plumbo, ſtanno vel ebore fabricatam & maximè lævem adhibere, perque hanc *Medicamenta cathæretica* dextre immittere, ad carunculam in urethra occurrentem ſenſim ac ſenſim abſumendam; cujuſmodi remedia ſunt *Alumen uſtum*, *Lythargyrium*, *Antimonium diaph.* *Tutia*, *Ærugo*, *Calx viva*, *Mercurius præcipitatus*, *Flores ſulphuris*, *Pulvis Fol. ſabinæ* &c. En formulam:

℞. *Aluminis uſti* ʒj.
Ærugin.
Antimonii diaphor. ana ℈j.
M. & ſerv. ad uſum.

Vel *Lapis infernalis* per cannulam intrudi poterit uſque ad carunculam, reiterando opus donec ea abſumpta fuerit. Remotâ carunculâ Ulcus reſtans injectionibus, ex *Decocto Herbar. conſolidantium*, *vulnerariarum* paratis, cum addito *Spiritu Vini camphorat. theriac. camphorat. Mercur. dulc. Maſtich. Tutiâ*, *Ceruſſâ* &c. ad ſanationem diſponendum. Pro reddendâ urinâ nonnunquam Cannula eſt extrahenda, & ſi reddi nequeat Catheter eſt ultra Carunculam inferendus, emiſſaque urinâ cannula iterum intromittenda, & recens injectio inſtituenda, hoc tamdiu continuando, donec curatio ſit abſoluta.

Palpitatio cordis. VI. *Cordis palpitatio* ordine jam ſequitur, motus cordis inordinatus, dum ſyſtole & diaſtole depravantur, & hinc pars illa præternaturali cum impetu pulſat, non ſine ægrorum incommodo atque moleſtia. Hic quidem affectus generaliter, uti toti humano generi contingere poteſt, ſpectatus, varias agnoſcere ſolet cauſas è rerum ſex non naturalium erroribus diverſiſſimis oriundas. Verùm quatenus Militibus noviter conductis, tum & Heroidibus ſtrenuis

nuis nullo certè excepto, dum hoſtem ad ineundum cum ipſo prælium in aſpectu habent, evenit (licèt illas priores & uniuscujuſque inſuper ſingularem conſtitutionem ab hæreditate l. educatione dependentem nolimus excluſam) hoc in ſenſu certè præcipuam & genuinam culpam conjicimus in metum & terrorem graviſſimum ex horrendo inimicorum aſpectu excitatum. Quò præſertim facit Militum in præliis magnus atque horriſonans clamor, fulgentia dein arma, bombardarum tonitru, & mille tumultus, quorum promiſcuè magna eſt ad terrendos hoſtes efficacia, ideoque jam olim *Iſraëlitis*, *Macedonibus*, *Perſis*, *Hibernis*, *Germanis antiquis* &c. clamorem iſtum militarem non tam ad provocandos hoſtes, quam perterrefaciendos ante prælium, in ipſoque conflictu uſitatum fuiſſe, & nunc in uſu eſſe *Turcis*, memoriæ prodidit *Cl. Camerarius*, *Oper. ſubciſivar. Cent. I. p.* 77. quam in rem *C. Jul. Cæſar de Bello civil. lib.* 3. *p. m.* 193. nobis etiam ita commentatur: *Neque fruſtrà antiquitùs inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremq; univerſi tollerent, quibus rebus & Hoſtes terreri & ſuos excitari exiſtimârunt; vociferabantur autem ante pugnas Alala, quod erat quaſi præludium & incitamentum ad manus conſerendas.* Porrò *Athenæus libr. I.* Audi Alila, Belli filia, votis prævia. *Plutarchus de Gloria Athen.* Audi Alala, Belli ſoror, haſtarum exordium. In Bello helvetico ſuperioribus annis ſæviente Inimici noſtri ſcitè barbarum illud *Alala* callebant, noſtriſque pro Patria ejuſque libertate præliantibus horriſonantem iſtum clamorem non ſine ferociâ incuſſerunt, ut multorum inde, ſi ingenuè dicendum veniat, corda palpitaverint. Cui quidem Militum inſultui l. incommodo non præſtantius datur remedium, præterquam quod ex *Bacchi floribus* diligenter ſit confectum, *Vinum*, inquam, *optimum* atque *generoſum*, aut *Spiritus* ejus, nunc *ſimplex*, nunc *aromatum virtute acuatus*, *Spirit. Ceraſ. nigr. Elixiria* quæcunque *aromatica*, & quicquid volatili principio roborante & analeptico excellit, largiùs iſta vice ingeſtum, ut intenſos animi motus fragile corpus aut machina per ſæva certaminis diſcrimina ſuſtinere valeat. Quò dein

contribuunt mirum in modum inſtrumenta varia bellica, ſono ſuo gravi animum & cor, ſi quid unquam, efficaciter excitantia, Tympanarum murmur, Tubarum tarantara, Buccinarum bombus, Doricarum clangor, & id genus plura, quæ Præliantibus audaciam & animoſitatem jam olim excitaſſe in antiquorum monumentis leguntur. Vid. *Athenæus Libr.* 14. *& Caſſiodorus Libr.* 2. *Epiſtol. apud Camerarium cent. I. oper. ſubciſiv. cap.* 18. qui, inquit, Doricus & Phrygius clangor prudentiæ largitores, & caſtitatis effectores, pugnas excitant, votumque furoris inflammant. Cujus rei veritatem probè didiciſſe videntur hodierni militiæ periti Heroës, & exercituum Duces, cùm varia indies organa & machinamenta in incrementum audaciæ militaris confingere ſolent. Atque nemo eſt, qui ignoret ex *Clem. Alexandrino*, quòd in Bellis non ſine ſingulari & felici ſucceſſu *Tubâ* uſi fuerint Hetruſci, *Fiſtulâ* Arcades, Siculi inſtrumentis, quæ appellabant Πηκτίδας, *Lyrâ* Cretenſes, *Tibiâ* Lacedæmonii, *Cantû* Thraces, *Tympano* Ægyptii, *Cymbalo* Arabes &c. Nec poſſum, quin mentionem injiciam ridiculi caſûs, quem poſt prælium circa *Brengarten* cum Heroë quodam bern. gallicæ ditionis contigiſſe memini, is autem profugus ex certamine, neſcio quo angore correptus unà cum famulo ſuo Lentzburgum cucurrit, hîcque in hoſpitium ad Urſam, ubi forte cum *periti. Mathyſio Chir.* degebam, divertens Chirurgorum præſentiam optavit, nobiſque ſupervenientibus graviſſimè in prælio ſe paſſum & vulneratum ſimulando non priùs quievit, dùm exploratâ totius corporis circumferentiâ, licèt nullo uſquam vulnere reperto, Capiti abraſis capillis *Fomentum aliquod ſpirituoſum* applicuiſſemus. Nos igitur ſuſpicantes metu & palpitatione cordis comprehenſum Virum iſta ſtudioſè ſimulare, poſtridie ab hoſpite accepimus illum lautè & opiparè cœnam curaſſe, redeuntes dein ad heroëm nihil præter ſuſpiria & planctus deprehendimus, quibus domum ſuam revertendi anxium deſiderium ſignificabat; cumque impetratam ipſi abeundi licentiam ſignificaremus, non cunctatus ille alacriter & omnium querelarum immemor iter

conci-

concipere viſus, omnium in ſe cachinnos excitavit.

VII. Caſtra ſequentibus frequentiſſime etiam accidit moleſtus & pruriginoſus in cute corporis ferè univerſa Dolor, ab animalculis exiguis, polypodibus, albis, nigrâ ſubindè maculâ in dorſo donatis, non ſaltantibus ſed repentibus, totum corpus turmatim perreptantibus, & in plicis veſtium ac induſiorum maximè nidulantibus excitatus, Militibus præſertim ſordidis atque immundis infeſtus. Pediculi verò hi planè aliùs ſunt indolis, quàm illi capitibus infantum familiares, neque magis capillaceæ, quàm reliquæ cuti glabræ ſunt infeſti, inque ſui generatione adeò ſunt copioſi, ut intra breve temporis ſpatium ex ſuo intra plicas indumentorum depoſito ovulorum ſeminio mirum quantum multiplicentur. *Phthiriaſis.*

Curatio multis ambagibus opus non habet, ablatis enim pediculis tollitur moleſtus pruritus, quem in finem Militibus pauperibus præter diligentem veſtium viſitationem & purgationem non inutiliter commendabam *Nicotianæ fumum*, quo plicas & fimbrias indumentorum ſæpe ſæpius inficerent; *aliis Lavamenta amara* ex decocto *Gentianæ Colocynthid. Centaur. min. Rutæ, Abſynth. Marrubii, Lavend. Nicotian. Naſturt. Cochlear. Bacc. Lauri, Camphor.* &c. cum *Vino* parato. Omnium tamen promptiſſimum & tutiſſimum deprehendimus, ſi *Spiritu Vini*, cui infuſa permanſerint *Colocynthis, Helleborus albus, Aloës, Myrrha, Ærugo, Fel taurinum* &c. lintea imbuerentur, eodemque totum corpus calidè lavaretur, obſervatâ etiam frequenti induſiorum mutatione, veſtiumque in fornace calefactione ſæpius inſtitutâ. Quibus omnibus ni forte ſuffecerint potentiſſimus accedit *Mercurius vivus*, ex quo cum *Axung. porcin.* unguentum parari, & efficaciſſimè uſurpari poteſt. *Curatio.*

VIII. Limites tandem noſtris qualibuſcunqe Obſervationibus ponit affectus quidam, *Pothopatridalgia* ſive *Noſtalgia* litteratis, *Germ.* das Heimwehe/ audiens, quem Milites recenter conducti, refricatâ forſan Patriæ deliciarum memoriâ, indeque obortâ gravi triſtitia, & luctu ſuper a- *Noſtalgia ſive Pothopatridalgia.*

miſſâ dulcedine auræ jucundæ *patriæ* ſæpius experiuntur; quandò enim Spiritus animales, l. ſuccus nerveus, l. quicquid lepidè nomines, in fibras medullares Cerebri inſtuendo diu multum circa unam tantùm in mente ideam ſuſcitandam eſt occupata, tum vix aliter fieri poteſt, quin tandem aliqua ſuccedat œconomiæ perturbatiò, & diverſa enaſcantur in animo phantaſmata, indies fixiora & graviora futura, ni apto remedio id præcaveatur. Itaque quantum quidem in tanta *Noſtalgiæ idea.* rei obſcuritate percipere licet, definimus *Noſtalgiam*, quod ſit *Delirium melancholicum fixum, à fibrarum cerebri medullarium vibratione ac tenſione contumaci*, eandem *perpetuò repetendæ patriæ ideam in animo excitante, ortum trahens*, variisque aliis lepidis interdum mirandis ſymptomatibus ſtipatum, non ſine vitæ periclitatione, ni optatus contigerit ſucceſſus. Innoteſcit autem affectus ex eo, quod ita affecti nil niſi patriæ delicias atque dulcedinem variam crepare, ejuſque pro tempore jacturam dolere, & luctu perpetuo ingemiſcere ſoleant, & vel ipſo vultu iſtiuſmodi Melancholiæ indicia præ ſe ferant; unde brevi in languorem virium, febriculam, dolores capitis, agrypniam, anorexiam incidunt, ac niſi juventur, nunc maniæ, nunc mortis diſcrimen incurrunt, prout caſtrenſium obſervationes ſatis ſuperque teſtantur. Ego quidem in nemine hoc malum lethale obſervavi, quùm ſemper nobis præſtò eſſent media, quibus Ægri *Curatio.* deſiderio ſatisfieri poſſet. In malo incipiente curationem frequenter abſolvere nobis licuit per conſortia amicorum frequentia, apud quos lepida & hilaris canoris etiam muſicæ recreationibus exornata converſatio inveniebatur, ut & per moderata corporis exercitia cum Amicis optimis quotidie inſtituta, & quæcunque mentem ab ejuſmodi fixioribus cogitationibus exhilarando detrahere poſſent. Si verò malum eſſet radicatum, & hiſce atque ſimilibus non poterat profligari, certiſſimum & promtiſſimum erat remedium Dimiſſio in patriam, quo uniuſcujuſque anxio deſiderio in tempore ſatisfieret; ex quâ quidem conceſſione ut optimo remedio multi ex ſubitaneo gaudio ita mutati ſunt, ut
ilicò

ilicò Phantaſmata ſua multivaria animo excuterent, ſubinde etiam, quod mirum, ex pudore quodam patrium deinceps recuſaverint iter; dum interea alii, etiamſi Patriæ dulcedine, vel potius amaſiarum ſuarum ſuavitate atque deliciis uſi eſſent, redeuntes in Caſtra poſt breve temporis ſpatium recidivam crudelem experirentur.

APPENDIX
OBSERVATIONUM ALIQUOT MEDICO-CHIRURGICARUM.

OBSERV. I.
Vulnus Capitis.

Miles quidam N.N. & gallicis Bernatum copiis d... Julii 1712. cùm adverſus hoſtem iret ſclopetariâ glande in Capite ictus eſt, quæ primò cutim & integumenta trajiciens, inde exteriorem frontalis calvariæ tabulam perrumpebat, deinde ad latus reflectens ſub involucris colli deorſum ruendo vaſa paſſim ſanguifera, fibras, nervosque graviter & impetuosè diſſolvebat; quo factum ut non ſolùm magna ægri conſternatio, cruoris per os larga profuſio, doloresque intenſi, ſed & mox *Febris vulneraria* non ſine præſentaneo vitæ diſcrimine ſequeretur. Accerſitus eò *peritiſſimus Chirurgus Matthyſius* cùm in dicto ſtatu ſauciatum deprehenderet, jamque vires deficere, ſenſus torpere, ſanguinem & ſpiritus magis magisque turbari intelligeret, propemodum deſperare ejus vitam cœpit, tanto id magis, cùm *Vulnus capitis.*

 inje-

injectum globulum nulla etiam arte explorare poſſet. Quo non obſtante tamen in tempore hæmorrhagia ſedata, vulnus clotum, & l. a. cum ſpleniis liquore vulnerario turgidis impletum, nec non *Fomentationes ſpirituoſæ & aromaticæ* applicatæ, etiam interea *V. S. diaphoreticis*, *laxantibus*, atque *cordialibus* ſauciato proſpectum eſt; quibus adminiſtrandis cùm diligenter adeſſemus, in melius ille converti, vulnus humorem coctum & bonæ notæ fundere, febris minui, ſenſus vegetiores evadere videbantur. Poſt alteram demum hebdomadam ſtylus exploratorius glandem plumbeam à Frontis oſſe reflexam, obliquo tractu ſub integumentis colli dorſique ſub ſcapulam dextram penetraſſe ſignificavit, quâ tum ejectâ, ulcere per *injectiones traumaticas* & *mundificantes* diligenter exterſo, febri per diaphoreſin fractâ, vires paulatim ſuccreverunt, tandemque ſaneſcere cœpit æger, & per Dei gratiam integræ valetudini redditus eſt.

OBSERV. II.

Vulnus pectoris & pulmonum memorabile.

Vulnus Pulmonum.

Commiſſo gravi prælio circa *Villmergen* Menſe Auguſto 1712. cùm ex victorioſo Bernatum exercitu duo milites de prædâ eâdem decertarent, alter qui ex germanicâ ditione erat N. N. ab altero gallicæ ditionis per ſclopetum exploſum in pectore ſiniſtro duorum ſub mammariâ papillâ digitorum latitudine vulneratus ilicò humi concidit, largamque cruoris profuſionem non ſine animi deliquio paſſus, brevi poſt in Xenodochium noſtrum Lentzburgenſe deportatus eſt. Ego tum in Deligationibus cæterorum fortè occupatus, cùm abſque mora ſauciatum iſtum examinarem, non ſine ſtupore effuſo & cumulato circa ſe ſanguini ipſum ineſſe deprehendi, languidum totum, ſenſibus & animo delinquentem, vulnus autem in cavum pectoris penetrâſſe, ſed ex oppoſitâ parte nuſquam exiiſſe viſum eſt, globulusque licèt

licèt certò adhuc ineſſet, deprehendi tamen non poterat. Itaque dilatato per ſectionem Vulneri *Tincturam vulnerariam* & *balſamicam* ſiphonis ope inſperſi, quò factum ut cruor copioſus non minus per ſcreatum & tuſſim, quàm pectoris foramen exiret. Tunc plumaceolis *tincturâ amarâ* humectatis vulnus munivi, & initâ deligatione, quæ à gallis *Scapulaire* dicitur, in ventrem locavi ægrum, ut quod in pectoris cavo ſupereſſet ichoris, nec non ipſe forſan globulus ſponte ſua & commodè exitum inveniret, *Decocto traumatico, diaphoretico pulvere, mixturâ cordiali, potu temperato, juſculis quàm optimis* internè ſimul accuratè conſulendo. Cujuſmodi methodo cùm deinceps pergerem diligenter, procedente ulterius ſanguine & pure, hinc per vulnus inde per os, præcordiorum anxietas, tuſſis, febriſque levari incœpit, ita ut globulo licèt retromanente indies æger melius habere videretur, & quod noſtram ſuperavit opinionem, intra tertiam hebdomadam omninò per Dei gratiam convaleſceret. Exemplum quo docemur, Vulnera Pulmonis graviora licèt, non tamen æquè ſemper, aut abſolutè lethalia evenire.

OBSERV. III.

Globus hypochondria trajiciens.

Vir nobilis N. N. du Pays de Veaux cùm d. . . Auguſti 1712. in acerrima Helvetiorum Villmergenſi pugnâ ſtrenuum ſe pro Patria athletam exhiberet, per ictum ſclopetarii globuli in ſiniſtro hypochondrio fortè ſauciabatur, ita quidem ut ille globulus non tantùm integumenta communia, muſculoſque abdominales cum peritonæo fulminis inſtar perrumperet, ſed & ſubtus pergendo ex oppoſito dextro hypochondrio nondum refractâ vi exitum ſibi inveniret, Viro interim humi proſtrato, cruorem fundente non paucum, & jam viribus ſenſibuſque delinquente. Is ad manus noſtras perlatus, licèt Vulneris & ſtatûs ſui gravitate metum *Globus hypochondrium utrumq; trajiciens.*

& penè

& penè deſperationem incuſſerit, nihilominus cùm eloto per *injectiones traumaticas* & *balſamicas*, hinc plumaceolis ſimili liquore imbutis munito Vulnere *V. S. diaphoreticis*, *vulnerariis*, *cardiacis*, *victuq́ congruo* intùs proſpiceremus, abeſſe tunc gravia ſymptomata, & in melius omnia vergere non ſine gaudio obſervabamus, ut ſaneſcente ocyùs Vulnere, Febri declinante, creſcentibus cum appetitu viribus, intra paucas hebdomadas feliciter ſanitati Miles ſit redditus. Num ideo quod Stomachus & Inteſtina fuiſſent vacua, glans per utrumque hypochondrium ſed infra tamen Diaphragma trajiciens, viſcera intacta reliquerit? in conjecturâ habuimus.

OBSERV. IV.

Miri trajectus glandium corpori ex ſclopetis involantium.

Miri trajectus glandium corpori involantium.

Varios ac interdum ſtupendos Globulorum, qui ex ſclopetis paſſim corporibus Militum involant, trajectus gemino exemplo poſt Brengartenſe prælium obſervato poſſum declarare. (*a*) Militi bernenſi ex gallicâ ditione oriundo N. N. d. . . Julii 1712. exploſa à furibundo hoſte glans directè obviam facta, in Hypogaſtrio dextro ingreſſum habuit, unde per inguen trajiciendo in ſcrotum penetravit, contuſoque atque lacerato prorſus Teſticulo eo, Femur ejuſdem dextri lateris ingreſſa, primò muſculos hujus plures perforavit, dein & os ipſum in quamplurima ſchidia confregit, dum ex media cruris regione denuò exitum inveniret. (*b*) Alii ex copiis Bernenſium heroi, ſo von Oberhaßly ware / in *conflictu ad pontem Seiſſen* involavit ex hoſtili catapultâ globulus in Tibiam, quâ perforatâ is ad Femur reflectens hujus os per totam longitudinem confregit, ac dein prope inguen & ſcrotum abdomen ingreſſus ibi demum requievit. Uterque horum licèt graviſſimè ſauciati eſſent, nihilominus dextrâ adhibitâ methodo per Dei gratiam maturè convaluerunt.

OBSERV.

OBSERV. V.

Vulnus inſectiferum.

Cùm d. . . Julii 1712. ſtrenuus pro Patria miles N. N. germanicæ ditionis bernenſis in conflictu à glande hoſtili ſclopeto emiſſâ ictus eſſet, quæ quidem à tergo involans cute membranis muſculisque violenter diviſis, ſcapulæ os dextrum perfregit, & continuato trajectu ſub axillâ oppoſitâ anteriùs evaſit, isque infelici ſuo caſu per aliquot dies negligeretur, tandem ad nos deportatus, graviſſimè laborare videbatur, Vulnus magnum, prætumidum, inflammatum, gangrænæ proximum, fœtidum, & quod miraremur, vermibus ac inſectis numeroſis conſpicuum, Febris intenſa, languor plurimus, dolores non parvi. Exterſo vulnere cum *Tincturâ Myrrhæ, Aloës, Thuris, Camphor. Angel. Spiritu Vini & Salis ammon.* extractâ, hinc plumaceolis eodem liquore húmectatis, nec non *Fomentis ſpirituoſis* cum deligatione aptâ munito, intus ſimul *V. S. traumaticis, bezoardicis, cardiacis,* nec non *victu gelatinoſo & euphoro* proſpiciendum exiſtimavimus. Quæ cum ex arte diligenter adminiſtrarentur, effectum eſt, ut intra aliquot hebdomadas Vir ille ſub manibus noſtris per Dei gratiam convaleſceret. *Vulnus verminoſum.*

OBSERV. VI.

Aër putridis effluviis inquinatus Vulnera exacerbat.

Cùm per aliquot jam menſes in Xenodochio Bernatûm Lentzburgenſi ſauciatos plurimos non infeliciter per Dei gratiam tractaſſemus, tum aliquot ſucceſſivè diebus inter pluvias continuas exactis, cœlo iterum redeunte ſereno, & ſolis æſtu renovato, ex ſtagnis, latrinis, fimetisque plurimis in viciniâ ſitis, copioſi halitus atque effluvia in auras *Aër impurus vulneratis nocivus.*

expirare, & nocivo eas miaſmate inficere cœperunt, eoque ipſo tempore apud ſauciatos noſtros communem Vulnerum exacerbationem obſervabamus, ſiquidem Dolores augeri, Febris intendi, Inflammationesque non parum invaleſcere conſpiciebantur. Remotis autem juſſu noſtro Fimetis, purgatis cubiculis, neque neglectâ ſanandi dextrâ methodo ocyùs mutari omnia, & in melius ire cœperunt. *Expertiſſimus* in arte *Matthyſius* tanto magis horum phænomenorum cauſam in Aërem impurum conjecit, quòd olim in Galliæ regiæ caſtris idem ſibi obſervatum meminiſſet.

OBSERV. VII.

Venus infenſa Vulneribus.

Venus vulneribus infenſa. Cùm d. 15. *Septembris* 1714. in victorioſis Bernenſium caſtris aliquot Milites ictus ſclopetarios abſque glandibus alternatâ vice petulanter ſuo quivis corpore exciperent, diffractâ fortè ob nimium pulverem pyrium catapultâ, cuidam ex iſtis Manus cum pollicis ablatione graviter vulnerabatur, qui ad nos deportatus deterſionem vulneris, ac deligandi methodum nobis conſuetam (cum *Fomentis ſpirituoſis* hîc præſertim inſtitutam) morigerus excepit, neque *venæſectionem*, *potum vulnerarium*, *victumq́; exquiſitum* detrectavit. Quo tamen non obſtante cùm immemor ſui officii noctu meretricem flagitiosè admiſiſſet, Vulnus in pejus ire, & aggravari ſymptomata cœperunt, ſtupentibus nobis dùm iſtud delictum intellexiſſemus. Et quidem Manus ſauciata graviùs inflammari, exanthematibusque impuris ſtipari conſpiciebatur, ut ægrè poſtmodum ac tardè, licet omnia nos ageremus, ſanationem ſit conſequutus, meritas nimirum ſuæ & temeritatis & libidinis pœnas luens.

OBSERV. VIII.

Glandes hiulcæ & granis frumentaceis farctæ gravius vulnerant.

Glandes inciſæ & granis tritici farctæ.

In conflictu ad *pontem Seiſſen* plurimi ex Bernatum copiis ſclopetorum ictibus Vulnerati ad nos in Xenodochium Lentzburgenſe devehebantur, quorum Vulnera cùm pro more diligenter examinaremus, atque hinc inde glandes ſclopetarias detegeremus, non ſine ſtupore conſpeximus eas in ambitu laciniatas, & frumentorum granis farctas exiſtere; mox etiam Vulnera tanto graviora, ac diſcriminis paſſim plena inde evaſiſſe licuit obſervare. Qui enim iſtiuſmodi globulis ſauciati eſſent, præ cæteris *Febrim intenſam*, *Gangrænam* & *Sphacelum* incurrebant, ut nulli dubitaremus, Glandes vel hoc fine nefariàm ab hoſtibus iſto modo præparatas fuiſſe. Quo ipſo quantum illi ab æquitatis normâ, & jure Belli receſſerint, orbi non ſine dedecore ſuo & infamiâ demonſtrarunt, neque hinc aliud quàm merita injuſtitiæ ac temeritatis præmia Deo jubente tulerunt.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Virum Clariſſ. & Experientiſſ.

DN. JOHANNEM KUPFFERSCHMIDT,

Chir. & Med. Doctorem nuper factum

Cum

Doctiſſimam Diſſertationem

DE MORBIS PRÆLIANTIUM

ederet

Epiphonemata.

I.

SUmere materiam ſcripti, quæ cognita dudum,
Eſt aliquid, Laudem cura operoſa parit.
Verum intacta aliis tentare, & tradere ſcriptis,
Hoc opus, hic ſummus ſedulitatis apex.
Dum doctis igitur tractas mala morbida chartis,
Propria quæ ſævi militis eſſe ſolent,
Fama tuum nomen per multas deferet oras,
Teque, recens Doctor, gloria certa manet.

JOH. RUD. BECKIUS, M.D. & P.
Univerſ. p. t. Rector.

II. Pro

II.

PRo Patriâ fueras Mavortia caſtra ſecutus
Nuper, & hinc poteras præmia ferre tua.
Sed tibi non placuit maculata Cruore Corona,
Hinc petis à Muſis laurea ſerta dari.

THEODORI ZUINGERI, Phil. & Med. Doct. Praxeos in Univerſ. Baſil. Prof. Sereniſſ. Duc. Würt. & Reipubl. Baſ. Archiatr. S. R. Imp. N. C. Academ. Carolino-Imper. Adjuncti.

III.

Quarta hæc nunc agitur repetitis menſibus æſtas,
Cùm bello arderet Patria Terra gravi.
Heu mihi! quàm facies tum flebilis undique rerum,
Quàm ſpes tum nobis parva ſalutis erat!
Helvetii, ſua quos debebant ocia pacis,
Quos ſua Libertas, quosque juvare fides,
Concipiunt iras inter ſe, ſæva capeſſunt
Arma, manus cupidi ad mutua bella parant;
In duo diverſi ſecedunt caſtra, feroci
Utraque pars cauſam vincere Marte cupit;
Infeſtis animis committunt prœlia, ſævo
Largiter heu! ſocius funditur enſe cruor.
Cauſa tamen melior vicit: Tuque optima rerum
Rurſum aderas Patriis Pax rediviva jugis.

Sic Te, ſic ſemper, Bellatrix Berna, ſecundet,
Et Tua ſic ſemper proſperet arma Deus!
At verò quantâ tum, Vir Clariſſime, quantâ
Juviſti Patriam ſedulitate Tuam?
Dum quatiunt alii Mavortia tela, necique
Obſtantem certus dedere quiſque parat:
Tu benè Chironis ſolers inſtructus ab arte
Inſtiteras belli damna levare trucis:
Militibusque dabas promptus fomenta dolorum,
Curaſti & facili vulnera dira manu.
Quin aliis quoque præbebas ſolamina morbis,
Senſit & artis opem miles ubique tuæ.
Cumque Tuis multum ſic Civibus utilis eſſes,
Utilior poſthac pluribus eſſe cupis;
Quam Tua, divulgas artem, experientia certam
Novit, communemque omnibus eſſe jubes.
Perge, Vir, o! fauſtè ſic publica commoda ſemper
Augere, & donis multiplicare Tuis.
Conatus verò cunctos, precor o! Deus ipſe
Fortunare Tibi tempus in omne velit!

P.

SAMUEL BATTIERIUS, M.D.
Gr. L. Pr. & Acad. Cæſ. N. C. S.

IV.

AGmina morborum quæ ſint caſtrenſia, plenè
Enumeras juſto, Doctor amice, libro.
Nec tantùm enumeras, ſed quâ ſint arte levanda
Diſſeris expertus maxima quæque mala.
Obſervata Tibi verſanti prælia circum,
(Prælia in Helveticis quondam agitata jugis)

In

In medium proſers: permultùm turba medentûm
Debet & ægrorum pallida turba Tibi.

JOHANNES BUXTORFIUS,
Ling. Hebr. Prof.

V.

QUi tam præclarum Scriptum DOCTOR NOVUS edis,
Quod minimè in medicâ ſis *novus* Arte, probas!

P.
NICOLAUS HARSCHER,
Phil. & Med. Doct. Eloq. Prof.

VI.

SÆpe etiam ignavus captat ſtata Præmia Miles,
Et ſibi deberi Munera rata putat.
Strenuus inde tamen Bellator digna Triumpho
Prælia non credit deſpicienda ſibi.
Sic Doctoralem cùm captet ſæpe Coronam
Muſarum Proles ingenioſa minus:
Non tamen omnigenis ſtudiis excultus Honores
Vir meritos ideò deſpicit atque fugit.
Sic quoque TE ſequitur poſt multos, Docte, *Labores*
Merces; digna Caput Laurus, Amice, *ligans.*

JOH. RODOLPHI ZUINGERI,
Phil. & Med. D. Log. in Academ.
Baſ. Prof.

VII.

ES haußt der wilde Mars mit Aeſculapens Künſten
Offtmalen jämmerlich; doch wann der Kriegesmann
Hinfällt/

Hinfällt / ſo ſtehet ihm die edle Kunſt zu Dienſten/
Mit Artzney/Hand und Band. Sie ſtellt ſich freundlich an/
Und hilfft dem Feind aus Noht. Der Baßler Chiron lehret
Die Grundſätz dieſer Kunſt. Hier zeigt Herr Kupfer-
ſchmidt
Ein trefflich Probeſtück: Wann der Soldat verſehret/
Beſchädigt oder kranck/ ſo heilt er Leib und Glid:
Er forſcht den wahren Grund/ wo Plag und Rettung lige;
Und weißt den Zweifel ab mit hellem Kunſt-Beſcheid.
Drumb ehrt ihn Phöbi Schaar/ und würcket zu dem Siege/
Aus einem Krieges-Rock ein zweyfach Doctor-Kleid.

SAMUEL RÜTHIUS, Caſtrovillanorum Archigrammateus.

VIII.

WO Klugheit/ Kunſt und Witz ſo wohlgeſetzte Proben
Bezeuget/ und zugleich ſie vor die Augen legt.
Da darff ein ſchlechter Kiel den ſtäten Fleiß nicht loben/
Weil ſelbſt die Wiſſenſchafft beſtändig Sorge trägt.
Doch aber fahre fort/ auch laſſe künfftig ſehen
Daß deine Wachſamkeit und Weißheit ungemein
Mög in der Weiſen Buch mit güldnen Worten ſtehen/
Ja daß dein Name mög unendlich lebend ſeyn.

JOH. PETR. KOMÁROMY, Sopronio-Hungar. Med. Doct.

IX.

WEr die Soldaten könt ſelbſt von dem Tod befreyen/
Den wurden alle dann für einen GOtt ausſchreyen/
Weil diß ſonſt niemand kan/ als GOtt der HErr allein;
Doch kan ein rechter Artzt ihm etwas gleiche ſeyn.

Dann

Dann der weiſt alle Seuch im Felde zu curiren/
Und was da tödtlich iſt dem Leibe/ auszuführen/
Wie uns Herr Kupfferſchmidt gezeigt in dem Tractat,
Den er davon alhier ans Liecht geſtellet hat.
Drumb auch höchſtbillich iſt/ daß ihm iſt aufgeſetzet
Nun die verdiente Kron/ die bſtändig ihn ergetzet/
Auf unſerm Helicon. GOtt laß ihn allezeit
Recht ſelig ſeyn auf Erd/ und in der Ewigkeit!

Dieſes wenige ſetzte in Eyl zu Bezeugung
ſeiner Hochachtung hieben
V. PARAVICINUS, G. B. Conrector.

X.

NOn martem, aſt artem coluiſſe juvat ſua ne quis
Nomina tam facilis militiæ dederit.
Namque creat morbos Mars, Ars Medicamina præbet,
Mars nocet, Arsque prodeſt, quam coluiſſe juvat.
Nimirum hanc morbos diſpellere Militis ægri
Poſſe, docet præſens magnificum Specimen.
Kupferſchmid merito hinc Academia Raurica Lauro
Vincit Apollineâ Tempora docta tua.
O Te felicem! quem Martis & Artis Alumnum
Condecorat Martis Gloria, & Artis Honor.
Scilicet ut Bello meruiſti Præmia Belli;
Præmia ſic meritò Raurica Muſa dedit.

JOHANNES TRACHSEL, V. D. M.
Caſtrovillano-Bernenſis.

XI.

QUalem per æſtuantis Africæ ſinum,
Inſana quem torret dies,

Pugnæ lubido, vel dapis crudæ, rapit
interritæ prolem Leæ;
Seu mugientes inter aſtitit greges
taurumq; luctantem premit,
Oviliumq; pervagator omnium,
fert molle Balantum pecus;
Talem ſciendi fervor atque audax calor
mentem penetravit tuam
Amice, magnis prædicande Vatibus,
nec unius Phœbi decus.
O cui Parentis ſacra Naturæ parum eſt
cauſasq; noviſſe & modos:
Quas Cœca Phœbe Nerëo reddat vices,
Cùm ſponte cedentes aquæ
Fugere littus, quotquot cccidunt dies,
rurſusq; tellurem premunt:
Gens unde tantas Æoli tollat minas;
Terram quîs impellat tremor.
Quæ civitatem cura firmet & ſtatus;
Invicta quem Virtus beet.
Ni nunc per herbas & medendi munia
Machaonis curæ trahant:
Necemq; ſiſtere & moram lintri dare,
mortale quæ tollit genus.
Pulcher Cupido invitet & laudum ſitis.
O omnia auſurum Caput,
Quæcunq; ſummo Pelii in Cacumine
dictâ ſe Chironem ferunt,
Poſtquam impotentis ſpiritus Achillei
Matri redonaſſet ſuæ;
Trojæ dolores Iliisq; mœnibus
ſuprema venturos mala:
Phœbiq; natum, cùm manu retexuit
inexplicabiles colos,
raptumq; Diti Virbium terris dedit
Viragini munus Deæ.

Quos

Quos inter olim ſtabis herbarum potens
ſuprema Gentium ſalus.
Sic profuturum fama fert Promethea
tentare cœleſtes domos,
Ignemq; terris transdare, ignaro Jove;
noſtris quod accedat bonis.
Ni mille peſtes, mille morborum agmina
diram ſecuta ſint manum,
Febriſq; multa, quæq; divinam lues
partes venenorum trahit.
Quas ire contrà, nec pedem retrò dare
Gentis Tuæ Memor para.
Non te tacebit Poſteris oblivio
& cuncta qui Livor premit.
Non Urſus *audax, unico Minor* Jove,
cùm per recedentes Viros
effudit agmen, ſanguiniſq; prodigus
ardore Mavortis furit.
Non, quoſque ſaucios pro Patria dedit
Vilmerga, *curavit manus,*
Quorum ſuperbis additus præconiis
Illuſtre perluces jubar.

Hæc Nobiliſſimo Dn. Authori Amicorumque facilè Capiti in perpetuuminitæ jam dudum, perennaturæque amicitiæ, ac mutuæ obſervantiæ *τεκμήριον*, ceu publicam ſtatuam erigere voluit

è Berna Pridie Nonar. Mart. M DCC XV.

SAMUEL SPRYNGLINUS,
Tobiniô-Bernas, S. S. Theol. Candidatus.

XII.

EXcelſus fuerat Medica Paracelſus in Arte
Toggenburgiaci gloria magna Soli,
Multi, crede, & adhuc fulgent Celſi atque Galeni,
In Celſis noſtræ montibus Helvetiæ.

Inclyta

Inclyta quos nobis Baſileæ Academia format,
Hanc ut Trojanum dicere poſſis equum.
Ex quo tot ſurgunt Heroës multique Strategi,
Qui oppugnant Morbos, agmina dira Necis.
Hos inter cùm tam doctè pro milite pugnas,
Diſcipulum magni te *Ducis* eſſe probas.

Sic applauſum teſtatur affinitate & amore arctiſſimè junctus

ANDREAS KUPFERSHMID, Secret. &c.

XIII.

WJe ſo/ mein Wehrter Freund/ wie geht diß eilig her/
Daß ihr ſo ungeſaumt gelangt zu groſſer Ehr?
Ein Sohne des Galen, ein Bruder Podalir,
Solt ihr hinkünfftig ſeyn / des Vatterlandes Zier:
Es zeiget Æſculap, daß ſchwer ſey ſeine Lehr/
Ein knörricht-dicker Stab / der ghört ihm jetzt nicht mehr.
Er war vormals der erſt / der Wunden hat verbunden/
Ihr habt in kurtzer Zeit den Stab ihm ausgewunden/
Gerad als wär mein Freund wie ehmals Machaon
Der Griechen-Heer gefolgt zur Zeit Agamemnon
In Mord und Tod im Feld / allwo man Sieg gewinnt/
Darbey auch Wunden/Stich/ ja lauter Kranckheit findt:
Ihr habt ja/ ſeh ich wohl/ bey ſolchen jungen Tagen
Euch tapffer griffen an/ von euch kan man nicht ſagen/
Daß ihr bißher geſchöpfft im Sieb aus Aganippen,
Geküſſet feuchten Staub für ſchöner Juno-Lippen:
Habt ihr gleich diß gethan/ mehr Oel verbraucht als Wein/
So muß doch noch darbey ein Zwinger g'weſen ſeyn/
Es wird ſein Lob und Ruhm jetzt und zu aller Zeit/
In Marmor graben ein die Hand der Ewigkeit.

Alſo hat ſeinen hertzlichen Glückwunſch ablegen wollen des Herrn Authoris ergebenſter Freund und Diener

Sebaſtian Schwartzwald/ A. L. C.

XIV.

XIV.

IMpia Bellonæ Soboles fera prælia ſpargit,
Et tamen inde ſibi laurea ſerta metit.
Quanto tu poſcis potiori Jure coronam?
Pharmaca Militibus qui pretioſa paras.
Dumq; alii occidunt, tu vivificare viciſſim
Semianimos medico Smegmate, AMICE, ſtudes.

Poſuit amicâ manu

HENRICUS HERMAN, Bienn.
Med. Cand.

XV.

CAndide Militiam ſectaris, Amice, cruentam,
Nulla licet portes Arma cruenta manu.
Sectaris, promtam ut diſcas adhibere medelam
Militibus, Martis quos malè vexat onus.
Quos miſeri valetudo teterrima Corporis angit,
His cupis ex animo ferre ſalutis opem.
Hinc Tibi nec Belli ſpolium, nec Præmia poſcis:
Sed, quæ ultro ſequitur Gloria digna Virum.
Gloria, quam celebris Podalirius Arte medendi
Conſtituit, Lauro Tempora docta ligans.

Ex animo appoſ.

JOH. CHRISTOPH. TSCHUDIUS,
Glaron. Med. Cand.

FINIS.

ERRATA.

Paginâ 1. linea 18. pro *Menſenterii* lege *Meſenterii.* Pag. 12. lin. ult. pro *inqui,* lege *inquinalium.* Pag. 20. lin. 25. pro *mixta* leg. *mixti,* & pro *vocanda vocandi.* Pag. 51. l. 3. pro *l.* ſupp. *i.* Pag. 55. l. 2. pro *Schultzium* l. *Scultetum.* ib. lin. 5. pro *o* l. *d.* Pag. 65. lin. 2. pro ⁜ l. ✠. Pag. 74. l. 23. pro *Diloc.* l. *diſlocationem.* Pag. 75. lin. 7. pro *ſcar.* l. *ſcorbuticâ.* Pag. 98. l. 10. adde *ſumatur.*